num. 30. et ſeqq. et præſertim num. 44. volum. 2. Manſ. *conſ.* 209. *num.* 14. Surd. *deciſ.* 38. *num.* 11. 12. & 13. Multò minùs ad finem, de quo agitur; nam ſi confundantur, & jungerentur, utique primum requiſitum Aretini nullo pacto verificabile eſſet, quia nunquam daretur caſus, quòd illa diſpoſitio continere poſſet antecedentem puram vocationem, contra mentem omnium DD. qui à diſtinguendum pœnam à conditione, ſemper docent, reſpiciendum eſſe, an antecedens ſeparata inſtitutio ſit pura, ex pun-
44 ctualiter allegatis per Manſ. *conſ. 338. num. 11. tom. 9. et in allegat. 379. n. 18. 19. et 20. et meliùs n. 63. et 64.* Palmæ.

Nec deficit præceptum de non moleſtando, nam ad hunc effectum non ſunt attendenda verba importantia, juxta ſonum materialem, prohibitionem, & præceptum, ſed ſuperabundant verba æquipollenter illud importantia, quæ profectò in caſu præſenti non deficiunt, ſuntque illa; *Nè anco ci ſia, e poſſi eſſere perſona alcuna, la quale poſſi intorbidare, & inquietare, e moleſtare la ſudetta Signora Marcheſa Girolama mia erede*; quæ verba in ſui ventre important præceptum non inquietandi, nec moleſtandi Marchioniſſam, etiamſi reſolvantur in conditionem, cùm proprium ſit cujuſcumque conditionis inducere præceptum, ex latè, & magi-
45 ſtraliter traditis per Surd. *dec. 232. num. 4. & per tot.* Ridolphin. *allegat. 71. num. 42. cum ſeq.* Palma Nepos *allegat. 367. numer. 9.* Rota poſt Giovagnon. *conſ. 99. num. 32. verſ. non obſtat, & deciſ. 47. num. 5. part. 3. rec.* maximè quando, prout in caſu, conditio eſt poteſtativa, & non caſualis, ut
46 pluribus allegatis juribus, concludit Surd. *dicta dec. 242. nu. 12. cum ſeqq.*

Concurrit demum privatio, cum in caſu quo Franciſcus Maria moleſtias inferret, data fuit facultas, & poteſtas Marchioniſſæ illius loco alterum inſtituere, & ſubſtituere; idem enim eſt, aliquem privare hæreditate, ac illius loco alterum hæredem inſtituere, ut ponderat Manſ. *conſil.*
47 *338. n. 25. & dec. Senen.* apud Manſ. *conſ. 68. num. 25. tom. 9. ubi concordan.*

Cæterùm quatenùs etiam non concurrent prædicta requiſita Aretini, adhuc tamen ſubdebant Domini ſatis eſſe, quòd ex aliis extrinſecis conjecturis colligatur, voluntatem teſtatoris fuiſſe privandi Dominum Franciſcum Mariam per modum pœnæ, & non conditionis; totum enim in hac materia operatur voluntas, eaque eſt, quæ potiſſimùm ſeparat, & disjungit pœnam à conditione,
48 juxta celebre Marciani reſponſum *in leg. de his, quæ pœnæ nomini relinquam*, ibi: *Pœnam à conditione voluntas teſtatoris ſeparat, et an pœna, aut conditio translatio ſit, ex voluntate apparet, et leg. 19. ff. de condit. et demonſtr.* ibi: *In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet*, Galganett. *de condition. par. 2. cap. 9. quæſt. 3. num. 1.* Caſtill. *lib. 5. controv. cap. 94. num. 18.* Molin. *de primogen. Hiſpaniar. tit. 2. cap. 20.* Surd. *deciſ. 7. n. 22.* Palma Nepos *allegat. 368. n. 3.* Voluntas autem in caſu præſenti deſumitur ex pluribus, & primò quia ex toto contextu teſtamentariæ diſpoſitionis primarius finis teſtatoris adimendi hæreditatem Franciſco Mariæ non extitit amor, & dilectio erga alias perſonas extra illam nepotis filiorum, ſuorumque proximiorum, dum ille, ſuaque proles fuerunt deſignati, & expreſsè contemplati tanquam habiles, & idonei, pro ſubſtinenda, & propaganda nominatione Ruſpula; ſed potiſſimus, & principalis ſcopus illum privandi extitit, ut timore privationis eum coerceret, quominùs Marchioniſſam moleſtaret; quidquid autem coercendi hæredis, & legatarii cauſa fit, ut aliquid faciat, vel
49 non faciat, id in pœnam dicitur diſpoſitum, *§. finali inſtit. de legat.* ibi notant omnes interpretes, quos colligunt Surd. *dicta deciſ. 7. num. 9.* Galganett. *de condit. et demonſtrat. part. 2. cap. 99. num. 5.* Cancer. *variar. reſolut. lib. 3. cap. 20.* Redenaſc. *conſil. 19. num. 76.* Roſas *de incompatib. part. 3. cap. 1. n. 24.* Urceol. *de tranſact. quæſt. 28. num. 27.* Palma Nepos *allegat. 368. n. 11.* Ridolphin. *allegat. 71. num. 46. et 47.* Quæ concluſio procedit ſine illa prorsùs difficultate, quando, prout in caſu, verſamur in præcepto, ſeu conditione poteſtativa, quæ ſcilicèt pendet ab arbitrio ipſius hæredis, in quibus terminis privatio, & ademptio non cenſentur diſpoſitæ ad ſuſpendendam juris acquiſitionem, ac hæredis vocationem, ſed ad refrænandam, & plectendam ejus inobedientiam, & contraventionem, & ſic in vim pœnæ, non
50 autem conditionis, ad text. *in l. Aretuſa in fin. de ſtatu hominum*, & latè, ut magiſtraliter ratiocinatur Surd. *deciſ. 232. num. 12. verſ. et quamvis uſque ad finem*, ubi quòd conditio poteſtativa ad hunc effectum habetur pro pura, & ſequitur Redenaſc. *dicto conſil. 19. num. 9.* Dodin. *conſult. 8. num. 12.* Urceol. *dicta quæſt. 28. nu. 17.* Ridolphin. *dicta alleg. 71. nu. 48.* Palma Nepos *dicta alleg. 368. num. 12. & 13.* & Rota *deciſ. 132. n. 3. & 11.* coram Bich.

Secundò quia ademptio in caſu moleſtiarum continet magnum lucrum, nempè opulentiſſimam hæreditatem excedentem omnium redditum ſcut. 50. mil. quo caſu ſemper interpretatur pro pœna, et non pro conditione, ut in ſpecie obſervarunt Giovagnon. *conſil. 93. n. 31.* Redenaſc. *d. conſil. 19. num. 74.* Card. de Luca *de teſtam. diſc. 73. num. 22. verſ. quinimò*, Rodolphin. *d. allegat. 74. num. 39.* Tertiò quia in dicto §. 17. teſtator ſub una, et eadem determinatione, et conceptione verborum prohibuit moleſtias legatariis, et Franciſco Mariæ; undè cum reſpectu legatariorum citrà ullam difficultatem diſpoſitio ſit pœnalis, & non conditionalis; ita pœnalis cenſeri debet reſpectu Franciſco Mariæ, tanquam explicata ſub una, et eadem determinatione, et conceptione verborum ad text. *in leg. ſi mihi,*
et ratio, ff. de verbor. ſignificat. Theſaur. *deciſ. 189. num. 1.* cum 52
aliis, quos in propoſita allegat Palma Nepos *d. allegat. 368. num. 39. et 40.* Quantò quia ubi teſtator voluit diſpoſitionem conditionalem, eam novit verbis expreſſis ordinare, ut in §. 13. teſtamenti, ibi: *Con dichiaratione modo ſuſpenſiva, e reſolutiva, che neſſuno delli ſudetti legatarii delle ſudette annue preſtationi poſſa forzare la ſudetta Signora Marcheſa Girolama mia erede*: ergo ubi illam non expreſſit, ſignum eſt noluiſſe diſpoſitionem conditionalem, ſed pœnalem, ut in ſpecie obſervat Rota *deciſ. 55. num. 14.* poſt Torr. *de primogen. Ital.*

Nec præfata omnia argumenta, & conjecturæ, pœnalitatem convincentes, deſtruuntur in objecto ex quem potiſſimùm vim conſtituebant defenſores Equitis Bichii, quòd ſcilicèt pœna ſe habeat ad inſtar modi, & verificetur in amiſſione juris quæſiti; in præſenti autem de jure quærendo, cum expectandum eſſet uſque ad extremum vitæ ſpiritum Marchioniſſæ ad effectum habendi implementum pacti negativi de non moleſtando: Siquidem excuſſis omnibus ſuper hoc puncto hinc indè cumulatis, verior, & receptior apparuit DD. ſententia, quòd in ſubjecta materia nihil referat diſtinctio inter emolumentum quæſitum, vel quærendum, ut res per principia benè excutitur per Redenaſc. *conſil. 19. num. 71. & ſequen.* Rodolphin. *allegat. 71. ſub num. 47.* Manſ. *conſul. 338. ſub num. 23. egregiè in allegat. 379. num. 51. cum ſequen.* Palmæ, *& in dicta deciſ. Senen* apud eumdem Manſ. *conſult. 68. nu. 23. ſignanter, verſ. non igitur, tom. 9.* repetit. apud Palma *dicta allegat. 370.* Eo enim ipſo, quòd
alicui aufertur habilitas ſibi aliàs de jure competens, ſem- 55
per ut pœnam id factum dicitur, Rota *deciſ. 665. num. 2.* coram Dunozett. Jun. *& dicta deciſ. poſt reſponſ. 23.* Giovagnon. *num. 32.*

Dupliciter namque pœna conſiderari poteſt, uno modo ſtrictè, quatenùs hæreditatem, ſeu relictum jam captum tollit, & ita accepta dicitur propriè ſtricta reſolutio pacti, & acquiſitionis, quæ modum inducit; largè etiam quatenùs dumtaxat jus quæſitum aufert, atque ſic accepta eſt alia impropria, & latior reſolutio juris ſuccedendi, quod ex pura, & abſoluta vocatione competens reſolvitur in
non jus propter inobedientiam honorati, ut benè diſtin- 56
guunt Redenaſc. *conſil. 19. n. 72. & ſeq.* Manſ. *dicta conſult. 338. poſt n. 23. deciſ. Senen.* poſt eumdem *dicta conſult. 68. ſub num. 25. verſ. inſuper tom. 9.* Quoties autem, ut in præſenti, conditio non legitur appoſita vocationi, & ſic pura eſt vocatio, tunc quia jus tribuit vocato ab initio, tametſi poſteà illius jus reſolvi debeat in non jus ob vocati inobedientiam, adhuc in talis juris reſolutione benè verificatur pœna largo, quo ſuprà, modo accepta, ſicuti aliis allegatis pulchrè firmat prælaudata *deciſ. Senen.* penes Manſium *verſ. ex præmiſſis, & verſ. non igitur tom. 9.*

Firmato igitur, quòd ademptio hæreditatis in caſu moleſtiarum fuerit inducta per modum pœnæ, ita quòd, ut dicatur incurſa, requiratur ſententia illius declaratoria, ut ſupra probatum fuit *in §. Copiosè*, procedendum non eſſet de rigore in hoc præcedenti judicio ad examen moleſtiarum, ob quas contenditur ſecuta contraventio voluntati teſtatoris; ſed hujuſmodi indago remittenda eſſet ad ſuum particulare judicium, dum ſemper hoc interim bonorum jus D. Franciſci Mariæ judicandum eſt nitidum, & clarum, utpotè conſurgens ex illius clara, & indubitata vocatione poſt obitum Marchioniſſæ purificata: nihilominùs aſſumentes DD. examen puncti moleſtiarum perindè, ac ſi ageretur in judicio privationis, convenerunt in conſenſu, D. Franciſcum Mariam nullo modo cecidiſſe à commodo, & beneficio inſtitutionis, & ſubſtitutionis ob aſſ. moleſtia Marchioniſſæ illatas; receptum ſiquidem eſt, & à ne-

à nemine controverſum, quòd ad incurrendam odioſiſſimam caducitatis pœnam à jure ſubſtitutionis, vel purificatæ, ſeu purificandæ, conſtare debet de contraventione clara, & expreſſa, quæque nullo excuſationis velamine occultari valeat, ex congeſtis per Cyriac. *controv. 289. n. 6.* Rot. coram Royas *dec. 382. n. 6. dec. 489. n. 6. par 4.* &
58 meliùs *dec. 293. n. 2. par. 6.* Neque ſatis eſt concurſus materialis contraventionis, ſed conſtare deſuper oportet, eam proceſſiſſe ex fraude, malitia, ſeu dolo hæredis, juxtà conſtantem DD. & noſtri Tribunalis ſententiam, de qui-
58 bus præ cæteris, latè Dec. *conſ. 290.* Burſatt. *conſ. 107. nu. 1.* Card. de Luca *de fideicomm. diſc. 154. nu. 4.* Palm. Nep. *dicta allegat. 68. num. 26.* Rot. *deciſ. 622. n. 1* coram Card. Cerro, *& dec. 187. num. 33.* coram Dunozett. Jun. *& dec. 491.* coram Merlin. *per tot. & deciſ. 168. num. 17. part. 19.* cum aliis in Romana hæreditatis 29. Maii 1693. *§. Aut ſubſtitutio*, confirmata die 28. Junii 1697. coram me. Et probatio doli, & malitioſæ contraventionis eſſe debet clara, liquidiſſi-
59 ma, & incontrovertibilis, Alexan. *conſ. 33. num. 1. lib. 1.* Caſtill. *controv. jur. cap. 94. num. 20.* Tomat. *deciſ. 201. num. 15. & ſeq. & num. 30. & per tot.* Rota coram Buratt. *deciſ. 899. num. 20.*
60 Aliàs ad inſtar ejus, quod dicitur de actu doloſo ad illam excuſandam; non ſolùm admittitur juſta cauſa, ſed ſufficit quæcumque levis, colorata, imaginaria, fatua, & beſtialis excuſatio; ſunt in ſumma termini ferè omnes, quos adhibere ſolent in ſubiecta materia DD. noſtrique Tribunalis reſponſa, ad inſinuandum judicibus, quanto cum rigore procedere debeant, antequam deveniant ad privationem certi hæredis, ac ſubſtituti, ob aſſertas contraventiones ultimo teſtatorum iudicio, ut hiſce verbis
62 nuper reſpondit Rota in Romana caducitatis ſub die 3. Julii 1702. §. *Subnixa fuit*, coram me; Ea quidem ratione, quia privatio ab univerſo hæreditatis commodo eſt ſumma, & capitalis pœna in civilibus, ut appoſitè eam vocat Rota in Spoletana Cautelæ Angeli 23. Februarii 1703. *§. Quod*, coram R.P.D. Anſaldo, & benè Card. de Luca *de fideic. diſc. 157. n. 5. & 51.* diſtinguendo pœnam amiſſionis certæ ratæ ab illa ademptionis totius hæreditatis. Ac etiam quia generaliter loquendo prohibitio moleſtiarum ſub pœna caducitatis in caſu contraventionis, ut plurimum fieri ſolet à teſtatoribus magis, ut metu pœnæ illorum præceptis pareatur, quàm quòd verè, & effectivè caducitas per contraventionem committi valeat, ut præ cæteris notant Rauden.
62 *deciſ. Piſan. 22. part. 1. ſub num. 72.* Calvin. *de aquit. lib. 2. cap. 101. n. 45.* Stockmanſ. *in ſeaucen. dec. cur.* Brabant. *dec. 17. ſub n. 2. in fine*, & maximè, quando, prout hìc agitur de pœna magna, ut monent Peregr. *conſ 21. n. 24. lib. 1.* Ciarlin. *controv. forenſ. lib. 1 cap. 2 num. 61. verſ. & maximè quia*, Venturin. *conſ. 50. num. 99 & 100.*

Aggreſſo ſub hiſce principiis examine moleſtiarum, conſiderarunt DD. quòd licèt illæ perductæ fuerint uſque ad *n.* 14. revera tamen una tantùm fundata in iudicio conſtructo pro confectione multiplicorum, & reſpectivè ſuper examine plurium inutilium expenſarum, quibus hæreditas remanſit gravata, viſa eſt, aliqua indigere diſcuſſione, nulla de cæteris habita animadverſione, cum illarum aliquæ non fuerint illatæ per Franciſcum Mariam, & pro eius commodo, ſed ab aliis, & pro alieno intereſſe, prout fuit iudicium intentatum pro ſolutione legatorum, reſtitutione fideicommiſſi Mariſcotti, unà cum melioramentis factis per Marchionem Franciſcum Mariam, & pro appoſitione ſequeſtrorum in locis montium; huiuſmodi quippè moleſtiæ (quatenùs nomen moleſtiarum mererentur, & non haberent omnes illas reſponſiones, quas lato calamo propoſuerunt ſcribentes pro Marchione Franciſco Maria) proceſſerunt ab Eminentiſſimo D. Card. Mariſcotto, & à D. Comite Alexandro Capizucchio patruo, & reſpectivè genitore D. Franciſci Mariæ ſuper eorum propriis negotiis, & non ſuper rebus ad Franciſcum Mariam ſpectantibus; unde is nullo iure potuit incurrere pœnam contra-
63 ventionis ex facto alterius, ad text. *expreſſum in l. Pater famil. ff. de hæred. inſtituen.* & plenè Peregrin. *conſ. 31. nu. 6. lib. 5.* Giovagnon. *conſ. 93. n. 18.* Galganet. *de condit. & demonſtr. par. 2. quæſt. 10. n. 14. verſ. 7.* Surd. *de alimentis tit. 9. qu. 26. nu. 30. & 31.* Caſtill. *controv. jur. lib. 5. cap. 94. n. 4.* Barry *de ſucceſſ. lib. 9. tit. 28. n. 9. verſ. 7.* Caramuel. *de legat. lib. 8. qu. 4. n. 15. & num. 18. & ſequent. fol. 671.* Guzman. *de evict. qu. 42. num. 31 & 49* Calvin. *de aquit. lib. 2. cap. 101. num. 109* Rodolphin. *allegat. 71. num. 3. & ſeq.* Torr. *de ſucceſſ. & primogen. & majorat. Ital. par. 2. quæſt. 50. num. 36.* Manſ. *conſult. ac rerum iudic. lib. 9. conſult. 63. num. 2.* Rot. *deciſ. 86. num. 44. & ſeq. & dec. 208. num. 4. & per tot. par. 6. & dec. 217. n. 10. par. 13. & dec. 146. nu. 6. & ſeq. par. 16. recent.*

Aliæ verò etiam ſi adſcribi debeant Franciſco Mariæ, prout ſunt prætenſiones ſuper eo, quòd capitalia hæreditaria deponerentur, & inveſtirentur cum præſentia, & conſilio, ac conſenſu vocatorum, ſuper cautione per Marchioniſſam danda de benè adminiſtrando; ſuper eo, quòd lites fierent ære proprio Marchioniſſæ, & ſuper bonificatione expenſarum omnium anni Viduilis, ac ſuper compenſatione ſcut. 12000. annuorum eidem D. Marchioniſſæ à teſtatore legatorum; omiſſis pluribus reſponſionibus, quòd citra contraventionem aliqui ex dictis actibus fieri poterant, & ſignanter illa ſuper cautione danda, ex traditis per
Fontanell. *dec. 64. nu. 5.* Caren. *reſolut. 219. n. 4.* Surd. *deciſ.* 64
194. *num.* 5. Rota *dec. 383. per tot.* coram Pen. adhuc tamen cum ſuper prædictis omnibus prætenſionibus impetrata fuerit à Judice licentia agendi contra Dominam Marchioniſſam, ſed poſteà non fuerint effectivè in judicium deductæ, utique ex illis non reſultant moleſtiæ, pœnam contraventionis inferentes; nec enim, qui preces Principi porrigit, ſive reſcriptum obtinet ad effectum agendi, moleſtare di-
citur, ſi eo poſtmodum uſus non ſit, ad text. *in leg. libertus* 65
15. ff. de in jus vocando, & leg. eum, qui cum natu major, § Accuſaſſe, ff. de iur. deliber. ibi: *Neque enim qui libellum Principi, vel Præſidi dat, in ius vocare patronum videtur*, & tradunt Paul. de Caſtr. *conſ. 221. ſub num. 2. verſic. præmitto lib. 2.* Alexandr. *conſ. 34. num. 3.* Menoch. *conſ. 35. num. 33. lib. 1.* Hyppolit. Riminald. *conſil. 551. num. 43. lib. 5.* Claud. Bertazzol. *conſ. 177. verſic. illud meritò, & verſic. præterea non poteſt, lib. 1.* Giovagnon. *conſ. 93. num. 10. lib. 1.* Annæus Robertus *rerum indicat. lib. 3. cap. 8. verſic. pro med. fol. 641.* Barry *de ſucceſſ. lib. 9. tit. 28. num. 5. paulò poſt med. verſic. certè*, Surd. *de aliment. tit. 9. quæſt. 26. n. 78.* Guzman. *de evict. q. 43. n. 34.*

Quapropter ſubductis iſtis moleſtiis remanet tantùm diſcutienda unica illata ſuper confectione multiplici Ruſpuli, quæ multiplicatur in plures, ratione plurium actuum, & inſpectionum ſubalternarum, quas ad verificationem hujuſmodi judicii opus fuit excutere; ſed revera cum omnes procedant ab una cauſa, reducenda ſunt ad unicam tan-
tùm moleſtiam, ut per text. *in leg. illud quæſitum 33. in fin. ff.* 66
ad leg. aquiliam, & in leg. ſi quis ſeparatim 10. §. Si quis una actione in fine, ff de appellat. Villagut. *de extenſ. fol. 277. nu. 32. & ſequen.* Amat. *variar. reſolut. p. 1. cap. 9. nu. 19.* D. Raynald. *obſervat. lib. 1. §. 10. & 11. nu. 47.* Rota *dec. 603. nu. 11. p. 19 recent. tom 2.*

Huiuſmodi porrò iudicium non fuiſſe malo animo, calumniosè, doloſève inſtructum, prout ex ſupradictis requiritur, ad effectum incurrendi pœnam caducitatis, Domini non dubitarunt, tam reflectendo ad perſonas, à quibus excitatum fuit, quàm ad cauſas motivas illius introductionis; machinæ namque, & doli capax non fuit Franciſcus Maria, qui de tempore inſtructi judicii erat adoleſcens in rebus agendis non ſatis adhuc verſatus, nihilque aliud in hujuſmodi negotiis egit, niſi purum nomen præſtare, & morem gerere, adeòut nec volens potuiſſet ob metum reverentialem erga illos, qui rem agebant ſuam, opponere, ut ex hac ſolùm proindè animadverſione abſolvendus eſſet, etiamſi cœteroquin hujuſmodi, aliæque aſſ. moleſtiæ aliam non obtinuiſſent vindica-
tionem, ad text *in leg. Tabularum 14. §. Cum enim, Cod. de* 67
legit. hæred. ibi: *Quis patiatur paterno vitio, ſi hoc vitium eſt, prolem innocentem gravari*, & egregiè in puncto Cardin. de Luca *de fideicomm. diſc. 157. num. 5. & 6.* Multòque minùs malus animus, & calumniandi voluntas cadere poterant in Eminentiſſimo Patruo, & bonæ memoriæ Com. Genitore, cuius conſilio, & aſſiſtentia præfatum judicium inſtructum fuerat; ſi enim fraus, & dolus non præſumi-
tur in quocumque de populo, niſi evidenter probetur, 68
leg. dolum, Cod. de dolo, multò minùs præſumi poteſt in perſonis nobilibus, & in magna dignitate conſtitutis, ut per text. *in leg. ſi quis ex argentariis, ff. de eden.*
Mantic. *de tacit. lib. 8. tit. 25. num. 4. & 9.* Mart. Medic. 69
dec. Senen. examinat. 20. num. 18. Rota coram Zarat. *deciſ. 5. num. 4. & dec. 421. num. 9. part. 13. & dec. 94. num. 25. part. 13. recent.*

Penitùſque fugatur omnis umbra malitiæ, & doli ex cauſis, ob quas deventum fuit ad ſæpèdicti judicii inſtitutionem, quæ latè recenſetur *in deciſ. editis*, in Romana Multiplicorum ſub die 17. Aprilis, & 19. Junii 1693. & 10. Junii 1701. coram R. P. D. meo Caprara, & in alia deciſ. 5. Julii coram bonæ mem. Emerix, ex quibus conſtat, Marchioniſſam fuiſſe negligentem ſpatio plurium anno-

annorum in conficiendis multiplicis, dediſſeque cauſam
pluribus ſuſpicionibus minùs rectę adminiſtrationis, & ſi-
gnanter propter exhibitionem notularum reddituum, &
expenſarum hęreditatis inter ſe contrariarum, atque ob di-
latam plurium menſium renitentiam exhibendi libros ip-
ſius adminiſtrationis, non obſtantibus pluribus gravatoriis
Rotalibus; quæ ſanè ſuſpiciones adeò conturbarunt men-
tem Judicantium, ut operæ pretium eſſe crediderint de-
putare adminiſtratorem hæreditati per modum proviſio-
nis; quocircà nullo pacto redargui poſſunt de malitia, &
animo doloſo inſtituentes dictum judicium, ſi ejuſmodi
moleſtiis cauſam præbuit ipſa Marchioniſſa, ad text. *in*
70 *leg. 1. §. Si omnes, ff. de ventr. inſpicien.* Ripa *in leg. res judicata,*
num. 2. ff. de re judic. Cravett. *conſil. 82. n. 2.* Ancaran. *conſil. 96.*
num. 5. Menoch. *de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 98. num. 14.* Ad-
den ad Buratt. *dec. 499. num. 18.* Rota coram Merlin. *dec 491*
num. 12. Certiùs quia Rota omnes inſtantias, tunc factas,
juſtas canonizavit, & in ſequelam devenit ad præfatum
temperamentum removendi ad tempus Marchioniſſam ab
adminiſtratione; non poteſt enim adſcribi dolo, vel ma-
71 litiæ actus à judice approbatus, Rota *dec. 143. num. 4.* coram
Priolo, *& dec. 622. num. 4.* coram Card. Cerro, *& deciſ.*
534. num. 13. part. 14. recent. & deciſ. 172. num. 3. coram
Amat. Dunozett.

Nec obſtat, quòd deindè Rota à deciſione bo. me. Eme-
rix receſſerit coram me ſub die 4. Julii 1698. in qua deci-
ſione reſtituta fuit Marchioniſſæ adminiſtratio, prout
etiam revocaverit ſententiam R. P. D. mei Capraræ, con-
demnantem Marchioniſſam ad ingentem ſummam ob non
confecta multiplica, ut ex duabus deciſionibus 3. Aprilis
1699. coram me; quoniam in ipſo actu receſſus Sacrum
Tribunal recognovit, & verbis claris exprimere voluit,
quòd ſtantibus deductis coram R. P. D. Caprara, & bo me.
Emerix, rebuſque tunc in obſcuro manentibus ob confu-
ſiones, & exhibitiones notularum, & ſpecialiter ob il-
lam contumacem renitentiam in illis exhibendis, dd. re-
ſolutiones erant neceſſariæ, juſtæ, & prudentes, ut latè
in dicta dec. 4. Julii 1694. *§. quia juſtitia*, coram me, & di-
ctus receſſus fundatus fuit in peritia Arigoni, poſtea ſuper
venta, ex qua agnitum fuit, Marchioniſſam eſſe liberam
ab omni dolo, & fraude, ſine quibus hæres gravatus ne-
72 quit removeri ab adminiſtratione, ut latè adſtruitur in
dicta dec. 4. Jul. coram me, *§. Sed hodiè cum ſeqq.* Et nihilomi-
nus quia adminiſtratio Marchioniſſæ non eo modo, quo fuit
purgata à ſuſpicionibus doli, fraudis, & culpæ, ita vin-
dicari potuit ex aliis defectibus incuriæ, & negligentiæ;
idcircò Rota ſtuduit modum proſpiciendi futuræ hęredi-
tatis adminiſtrationi, mediante aliqua cautione, pluresque
excogitavit; menſque DD. fuit tunc illarum aptiorem, ac
tutiorem amplecti, niſi opportunius crediliſſet tempera-
73 mentum oblatum a Marchioniſſa reddendi rationem de
ſemeſtri in ſemeſtre Sacro Tribunali, ut latiùs in dict. *§.*
fin. coram me.

Et quòd ſpectat ad liberationem Marchioniſſæ ab illa in-
genti ſumma, in qua fuerat condemnata per ſententiam R.
P. D. mei Capraræ ob non factum multiplicum per ſpatium
ſeptem annorum ratione malæ adminiſtrationis Marchio-
niſſæ, infirmatio dictæ ſententiæ non proceſſit ex injuſti-
tia, cum in ea pręſervata fuerit ſubductio omnium expen-
ſarum factarum pro manutentione bonorum hæreditario-
rum, necnon legatorum ſolutorum juſtifican. prout legitur
in deciſionibus deſuper emanatis; unde juſtificatis coram
me ex peritia Arigoni, ſubſequenter facta expenſis, ac le-
gatorum ſolutionibus, emanavit reſolutio revocatoria di-
ctæ ſententiæ R. P. D. Capraræ ex fundamento d. novæ pe-
ritiæ, necnon ex eo quòd hæres gravatus, ſeu admini-
ſtrator non tenetur niſi de dolo, & lata culpa, quando fi-
deicommiſſum eſt inſtitutum, tam gratia fideicommitten-
tis, quàm hæredis; cenſuit tamen, & daclaravit, Mar-
chioniſſam gravaſſe hæreditatem pluribus impenſis exceſſi-
vis, quas taxavit tantùm ad ſcut. 3000. relaxando juris
rigorem, & ex motivis arbitrariis, ut proteſtata fuit in
dec. 3. Aprilis 1669. *§. His ſtantibus*, coram me.

Ex quibus conſequitur primo, quòd cum receſſus à præ-
fata deciſione coram R. P. D. Caprara, & Emerix ſuperve-
nerit ex novis juribus, ex illo ſanè non aufertur juſtitia;
cum qua fuerat cœptum, & proſecutum coram me, ac per
conſequens multò magis ſemper remanet excluſa malitia,
74 & dolus, ad Text. *in l. 3. C. de calumniat.* ibi — *Non ſi reus eſt*
abſolutus, ex eo ſolo etiam accuſator, qui poteſt juſtam habuiſſe
veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus eſt: Boſſ.
tract. var. tit. de injur. num. 4. Calvin. *de æquit. lib. 2. cap. 171.*
nu. 17. Satiſque eſt, quòd à principio lis mota fuerit bono
animo, & cum ſpe probabili aſſumpta, licèt malo exitu
terminata, ut ad excludendum dolum, & culpam Mar-
chioniſſæ in adminiſtrando reſpondit Rota in dicta Ro-
mana Multiplicorum 3. Aprilis 1699. *§. Poſtremò*, coram me
& in ſpecie ad excluſionem caducitatis, Stotkmans *deciſ.*
Bramant. 17. nu. 1. & per tot. Secundò quòd cum idem receſſus
non fuerit abſolutus, ſed modificatus, id etiam eò magis 75
excludit malum animum, & dolum, cum ad hunc effectum
ſufficiat, ut prohibitus moleſtari victoriam in aliquibus aſ-
ſequatur, Rot. *d. dec. 172. n. 3.* cor. Dunoz. Jun.

Nec dolus, & protervia conſurgunt, ex quo poſt latam
ſententiam præviis dd. deciſionibus, coram me, Franci-
ſcus Maria non acquievit, ſed provocavit coram D. dell'Ol-
mo; tum quia non docetur de ſpeciali mandato procuræ
D. Franciſci Mariæ ad appellandum, prout requiritur ad
effectum incurrendi caducitatem ex appellatione, & ejus
proſecutione, ex traditis per Curt. Jun. *conſ. 149. ſub nu. 6.* 76
Mareſcott. *var. reſol. lib. 2. cap. 35. num. 57.* Ludoviſ. *dec. Peruſ.*
51. num. 5. Paitell. *expedit. cauſ. civil. 59. num. 20.* Golin. *de pro-*
curat. part. 2. cap. 5. num. 3. Conciol. *ad ſtatut. Eugub. lib. 2. rub.*
19. num. 7. Manſ. *conſult. 61. num. 3. & 4.* tum quia judicia-
liter coram R. P. D. meo Spinello ſolemniter, & genera-
liter Franciſcus Maria proteſtatus fuit, nolle unquam ap-
probare, niſi illa acta, quæ tendere viſa fuiſſent in adimple-
mentum voluntatis Teſtatoris; quamobrem eatenùs magis
requirebatur ſpeciale mandatum ad appellandum, quatenùs
appellatio prætenditur contraria voluntati Teſtatoris,
ac etiam dictæ ſolemni ejus proteſtationi; tum pariter quia
cum ſententia lata coram me eſſet alterius revocatoria 77
nec quidem in omnibus, ſed in parte, poterat rationabi-
liter ſperari regreſſus ad priorem ſententiam, ex traditis
per de Marin. *reſol. quotid. lib. 2. cap. 92. nu. 17.* Rota in Ro-
mana Cambiorum 26. Martii 1700. *§. Non dubitavit, & ſeq.*
& 14. Februarii 1701. *§. Qua probabili*, coram R. P. D. meo
Muto; quæ ſola, & ſimplex ſpes ſufficit ad excludendum
dolum, & proterviam, exuberante, ut ſupra firmatum
fuit, ad illam excludendam quacumque cauſa etiam colo-
rata, & apparenti, ut in ſpecie obſervarunt Riminald. 78
conſ. 27. num. 20. lib. 1. Covar. *pract. q. cap. 27. nu. 3.* Caball. *conſ.*
dec. 35. n. 11. Futtier. *pract. quæſt. lib 1. qu. 135. nu. 2.* Rot. *deciſ.*
197. num. 6. & 7 coram Priolo; tum denique quia nec Do-
mina Marchioniſſa acquievit dictæ ſententiæ in partibus ſi-
bi contrariis, dum non ceſſit prætenſioni Caſarum Cerve-
teris, nec ſummam ſcut. 3000. ad quam fuerat condemna-
ta, tunc depoſuit, & reinveſtivit; ſed potiùs coram Judi-
ce appellationis deciſionem, & ſententiam in hac parte
impugnavit.

Et in univerſum inevitabiliter omnis excluditur dolus,
fraus, protervia, & malus animus inquietandi, & mole-
ſtandi Dominam Marchioniſsam ex duabus efficaciſſimis
rationibus, quarum prima eſt, quòd ante litium inſtru-
ctionem, contra Marchioniſsam petitæ, ac impetratæ
fuerunt licentiæ omnium ferè judicum Romanæ Curiæ,
qui unanimes declararunt, illas poſse intentari ſine metu 79
caducitatis; quamvis autem conſors non ſit DD. ſen-
tentia, an hujuſmodi licentiæ ſuffragentur ad liberan-
dos moleſtari prohibitos ab incurſu caducitatis, dum
pro opinione negativa ſtant Barbat. *conſ. 57. lib. 3.* Rau-
denſ. *variar. cap. 32.* Andreol. *controverſ. 413. num. 18.* &
affirmativam tenent Cyriac. *controv. 147. num. 4. & contr*
288. num. 23. & controv. 624. num. 6. Caren. *reſolut. 119. nu.*
5. Tondut. *quæſt. civil. part. 3. cap. 249. num. 16.* Rota *dec.*
491. ſub num. 9. coram Merlin. *& deciſ. 172. num. 1.* coram
Dunozett. Jun. hoc unum tamen certum eſſe autumarunt
Domini, quod hæc varietas Doctorum ſufficit ad con-
ſtituendum in bona fide impetrantes huiuſmodi licen-
tias, eiſque utentes, ad hoc, ut non dicantur doloſi con-
traventores; ſi verum, prout veriſſimum eſse ſupra fir-
matum fuit, quod ad evitandam pœnam caducitatis ſuffi-
cit quæcumque excuſatio colorata, levis, erronea, & be-
ſtialis, & in ſpecie, quòd ad illum excuſandum ſufficiat di-
ctum unius famoſi Doctoris dixit Rot. *dec. 677. n. 16. p. 19. rec.*
cum aliis infra recenſendis; certiùs, & ſine ulla difficul-
tate, quia Domina Marchioniſsa habebat ſcientiam, &
notitiam dictarum licentiarum, dum in quocumque judi-
cio fuerunt productæ, & tamen nihil adversùs illas oppo-
ſuit; unde cenſetur eiſdem acquieviſse, illaſque juxta
ſenſum plurium gravium DD. habuiſse pro ſufficientibus
ad evitandam caducitatem, ut in ſimilibus terminis tra-
dunt Mancin. *de juram. part. 6. quæſt. 6. num. 2. & quæſt. 9.*
nu. 1. & per tot. Rot. *deciſ. 292. num. 3* coram Dunozett. Jun.
& deci.

& deciſ. 265. num. 36. & deciſ. 241. num. 29. part. 7. recent.

Stringit fortiùs ſecunda animadverſio, quòd nempè Ju-
dicium ſuper multiplicis cœptum fuit poſt illud celebre ſu-
per Trebellianica, quam Marchioniſſa jactaverat poſt obi-
tum detrahere velle; in deciſionibus autem editis in hac
cauſa, licèt Marchioniſſa ad effectum ſe eximendi ab huiuſ-
modi judicio allegaſſet, quòd Teſtator prohibuerat, eam
quoquo modo inquietari, & moleſtari; Rota tamen reſ-
pondit; huiuſmodi præceptum intelligendum eſſe de mole-
ſtiis iniuſtis, non verò de juſtis, illiſque, quæ eſſent primariò
directæ pro executione voluntatis teſtatoris, ut patet *ex*
dec. 696. num. 27. & 966. n. 16. coram bo. me. Emerix, ad qua-
rum formam expedita fuit cauſa; cùm ergo ſuper interpre-
tatione huius præcepti adeſſet Judicium Tribunalis re ju-
dicata firmatum, abſque ullo dubitandi principio Franci-
ſcus Maria conſtitutus fuit in optima fide intentandi
quamcumque litem adverſùs Marchioniſſam, dummodò
eſſet iuſta, & expers animo calumniandi; non obſtantibus
omnibus deductis adverſus huiuſmodi interpretationem
tunc datam à Rota, quoniam quidquid ſit, an ſubſiſtant,
hoc certum eſt, quod ad conſtituendum in bona fide Fran-
ciſcum Mariam, ſatis eſt, quòd iudices ita dictum præ-
ceptum explicaverint, & interpretati fuerint; nam ad
præſtandum titulum coloratum, conſtituentem aliquem
in bona fide, ſufficit dictum unius gravis viri, Bald. *in l.*
judicem in fine, C. de rei vindicat. Alexand. *in l. 1. n. 4. ff. de eo per*
quam factum erit, Rot. *deciſ. 120. n. 4. p. 3. recent.* & in Nullius,
ſeu Fulden. Iuriſdictionis 16. Februarii 1703. *§. Sive quia in-*
juſtitia, coram me, & in ſpecie, quòd dictum unius Do-
ctoris excellentis præbeat juſtam cauſam ad effectum evi-
84 tandi caducitatem, tradunt Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 177.*
n. 2. Carpzov. *dec. 36. n. 15. tom. 1.* Sanfelic. *in prax. judic. poſt dec.*
tom. 3 ſect. 61. n. 17. & 18. Conciol. *in additam. ad Statu. Eugub.*
rubr. 21. n. 14. Rot. *dec. 677. n. 16. in fine p. 19. rec.*

Sed vero excuſſo, præfata ratio fundata in interpreta-
tione aliàs data à noſtro Tribunali, & etiam à judicibus
concedentibus licentias agendi, quòd moleſtiæ prohibitæ
à teſtatore non comprehendant illas, quæ tendere pote-
rant in executionem ſuæ voluntatis, non ſolùm eſt appa-
rens, colorata, & probabilis, ſed realis, & legitima;
nihil enim aliud magis cordi infixum habetur Teſtator,
quàm deſiderium, & ſollicitudo, ut ejus diſpoſitio teſta-
mentaria in omnibus, & per omnia ſuum aſſequeretur im-
plementum; imò ipſa prohibitio moleſtiarum facta legi-
tur ad effectum, ut ſua voluntas adimpleretur; ut prote-
ſtatus fuit in prooemio, *§. 13.* Teſtamenti, ibi — *E perche*
tutto il mio fine è, che la mia volontà reſti in tutto, e per tutto adem-
pita. Quo circa non poteſt præſumi, quòd voluerit vitare
illas moleſtias, quas Franciſcus Maria hæres ſubſtitutus,
omneſque aliis legatariis inferre potuiſſent Marchioniſſæ,
ad effectum, ut diſpoſita in ſuo Teſtamento, ſuam ple-
nariam reciperent executionem, ut in ſpecie conſuluit Ca-
85 ſtren. *reſponſ. 371. in principio tom. 2.* Natt. *conſ. 7. num. 2. lib. 1.*
Bucaferr. *reſponſ. 50. num. 53. & melius 54.* ibi — *Non enim cre-*
dendum eſt teſtatorem prohibentem moleſtiam voluiſſe prohibere pe-
titionem eorum, quæ continentur in teſtamento, & implementum
ſuæ voluntatis, Cravett. *conſ. 737. num. 11.* Menoch. *de præ-*
ſumpt. lib. 4. præſumpt. 93. num. 10. Cyriac. *controverſ. 388.*
num. 15. & 16. Rota *deciſ. 133. num 9. part. prima*, coram
Verall. *& deciſ. 534. num. 13. part. 14. & deciſ. 62. num. 17. part.*
27. recent.

Et ſanè quatenùs prohibitæ fuiſſent ſub pœna cadu-
citatis, vel per viam conditionis, etiam moleſtiæ in-
ferendæ per legatarios, & hæredem ſubſtitutum, ut om-
nia illorum favore diſpoſita adimplerentur, ſequeretur,
quòd teſtator reliquiſſet in voluntate, & arbitrio uxoris
ſolutionem legatorum, & implementum aliorum onerum,
cum legatarii, & hæres poſt ejus mortem inſtituendus, &
ſubſtituendus, metu pœnæ caducitatis, vel purificatio-
nis dictæ conditionis auſi non fuiſſent recurrere ad judi-
ces pro executione voluntatis Teſtatoris, quod nulla ra-
tione præſupponi poteſt, quia, ut præfertur, ipſe teſta-
tor voluit liberum, & omnimodum ſuæ voluntatis adim-
plementum, unde moleſtiæ per ipſum prohibitæ non poſ-
ſunt intelligi de illis tendentibus ad executionem ſui ul-
86 timi iudicii, ut benè notat Caſtren. *dicto conſ. 371. in prin-*
cipio, ibi — *Privatio autem inducitur per teſtatorem eo caſu, quo*
Galganettus faceret contra intentionem, vel diſpoſitionem teſtato-
ris, non quando ſecundum eam; generalis ergo prohibitio dicto-
rum capitulorum quod nullum detur ei impedimentum, vel briga,
non excludit illud, vel illam, quòd, vel quæ daretur virtute
alicuius capituli ejuſdem teſtamenti, juxta notata in ſimili &c.
Alias ipſi fuiſſet contrarius teſtator, quod non eſt dicendum, vel
præſumendum voluiſſe.

Eſſet porrò ſibi contrarius in caſu noſtro Teſtator,
ſi poſtquam mandavit hæredi, ut *liberè, e ſenza eccet-*
tione alcuna, ſolveret quædam legata annua, voluiſ-
ſet deinde impedire legatariis, ne recurrerent ad iu-
dicem pro declaratione modi; quo talia legata ſolvi
deberent, an nempè anticipatè, vel poſticipatè; rur-
ſus eſset ſibi contrarius, ſi poſtquam deſideravit, & 87
iuſſit, ut eius hæreditas reſtitueretur tota, et integra
ſine ulla diminutione, & aucta cum multiplico ex re-
ſidualibus fructibus hæreditatis conficiendo, iuxta ſen-
ſum Rotæ in deciſionibus editis ſuper Trebellianica co-
ram bon. mem. Emerix Decano inter ſuas la 940. &
968. & in aliis cor. R. P. D. Priolo, & bon. mem. Benincaſa,
poſt Card. de Luca *dec. 58. 59. & 60. ad materiam de teſtam.*
re iudicata confirmatum, voluerit deindè prohibere,
ne hæres inſtituendus ſciens, quòd Marchioniſsa iacta-
verat velle illam imminuere notabiliſſima detractione
Trebellianicę, poſset adire iudices ad effectum decla-
randi, an illi competere valeat talis detractio; item,
ſi poſtquam ipſam inſtituit hęredem ſub certa modis;
& conditionibus, & ſignanter cum onere adminiſtran-
di, & poſt eius obitum reſtituendi hæreditatem Fran-
ciſco Marię, deinde prohibuiſset, quin iſte adire va-
leat iudicem ad illam cogendam, ut faceret diſtinctum
& legitimum inventarium bonorum, ut capitula non
pro ſe, & hęredibus, ſed pro ſucceſsoribus in hęre-
ditate inveſtiret, atque diſtingueret ſua propria ne-
gocia ab illis hęreditatis ad evitandas confuſiones; ac de-
mum, ſi poſtquam iuſſit, & pręcepit Marchioniſsę, ut
conficeret duo multiplica, unum pro domo Mariſcotta,
alterum pro Ruſpula, prohibuiſset habentibus intereſ-
ſe, ne illam urgerent ad docendum de confectione, &
reſpondendum iis omnibus, quę deduci poterant ad ex-
cludendam retardationem: eſset inquam ſibi contra-
rius, quia in una parte per verba præceptiva, *debba, e*
faccia, iuſſiſset Marchioniſsę dictorum onerum imple-
mentum, & in altera illud ad placitum ſuę volunta-
tis remiſiſset; cenſetur namque collata arbitrio hęre-
dis ſolutio legatorum, aliorumque onerum adimple-
mentum, quatenus legatariis, aliiſque, quorum favo-
rem onera reſpiciebant, clauſum fuit os, & prohibi-
tum, ne extraiudicialiter, vel iudicialiter inſtent,
agantque pro illo cogendo ad implendam voluntatem
Teſtatoris, vel ad oſtendendum, eam fuiſse adimple-
tam; eſsetque inanis, & inefficax actio, & poteſtas
agendi, ſi ſtatim, ac ea inſtitueretur, amitti debeat,
vel per viam pœnę, vel conditionis, ipſum emolu-
mentum, pro quo agitur, ut in ſimili tradunt Salgad
in labyr. credit. cap. 43. num. 50. part. 1. Rota *dec. 56. num.*
3. & 4. cor. Millin. *& dec. 265. num. 3.* coram Priolo. Ad
evitandam propterea huiuſmodi contrarietatem, con-
cludendum eſt, moleſtias prohibitas à Teſtatore non eſse
illas, quę directurę erant pro executione ſuę voluntatis;
ſed alias, quę eandem voluntatem ſubverſurę, & de-
ſtructurę eſsent, ut concludunt DD. ſupra laudati.

In hancque ſententiam Domini magis, magiſque ſe
confirmarunt ex atteſtationibus advocati Sabucii ex-
tenſoris Teſtamenti, de quo agitur, ex quibus non obſcu-
rè deprehenſum fuit, de quibus moleſtiis locutus fuit Te-
ſtator in dicto §. 17. Ille enim narrat, Teſtatorem dubitaſ-
ſe, an in Teſtamento bo. me. Bartholomæi Ruſpuli ejus au-
thoris adeſſet fideicommiſſum favore illius fratrum, &
collateralium, quo ſtante non potuiſset hæredem inſtitue-
re, neque de hæreditate diſponere ad ejus placitum; atque
ideò prohibuit dictis fratribus legatariis, & Franciſco Ma-
riæ hæredi inſtituto, qui poterant eſse in dicto fideicom-
miſso vocati, nihilominus Marchioniſsam hæredem ullo
modo moleſtarent, intelligendo de illis moleſtiis, per quę
uxor dilecta expoliari potuiſset notabili annuo redditu ſc.
12000. ac etiam prærogativa ſubſtinendi eius vita durante
domum Ruſpulam, ut colligitur ex nuper atteſtationibus
dicti Advocati in hac audientia per Equitem Alexandrum
exhibitis, collatis cum atteſtatione nuper data, ac iterum
hodie diſtributa, & ſignanter *in §. Ac de facto cum duobus*
ſequentibus.

Illas itaque moleſtias vetuit teſtator ſub pœna magna ca-
ducitatis, ex quibus Marchioniſsa poterat inquietari, li-
teſque ſufferre circa aſsecutionem ſui legati ſc. 12000. non
verò illas, quæ inferri poterant pro adimplemento omnium
contentorum in ſuo teſtamento; idque etiam conſonat
ratio-

rationibus, & cauſis, ob quas hujuſcemodi moleſtiarum prohibitiones mandari ſolent à teſtatoribus; illis enim caſibus illas ut plurimùm adiiciunt, quando diſponunt de rebus hæredum fideicommiſſariorum, vel in quibus iſti jus aliquod prætendere poſſunt; unde ne hæres gravatus in vita ſpolietur bonis de quibus non potuerant diſponere; præfatas pęnas privationum à commodo fideicommiſſi infligunt, & in iſtis terminis loquuntur ferè omnes congeſtæ auctoritates per defenſores equitis Bichii, quamobrem cum Marchioniſſa nullam unquam paſſa fuerit moleſtationem, nec à fratribus teſtatoris, neque ab ipſo Franciſco Maria ſuper conſecutione ſui legati, aliorumque per Teſtatoris diſpoſitionem in vim aſſerti antiquioris fideicommiſſi; ſed omnes moleſtiæ ſolùm directæ fuerint pro obtinendo plenario adimplemento illius Teſtamenti; iſtæ quidem moleſtiæ nullo modo diiudicari poſſunt de prohibitis, itaut per conſequens non ſit locus privationi Franciſci Marię, etiamſi aliàs ipſius inſtitutio eſſet conditionalis, & non pęnalis, ex
89 defectu illius purificationis, ad Text. *in l. pecuniam, quam ff. ſi cert. petat.* Soccin. Jun. *conſ.4. n.16. vol.1.* plenè Roland. à Valle *conſ.63. nu.16. cum pluribus ſeqq. vol.4.* Rot. *deciſ.479. n.1.* cor. Pamph. & paſſim in aliis.

Perſtringendo itaque omnia in unum, DD. crediderunt conſtare de bono jure Franciſci Mariæ, quia clara eſt illius vocatio in *§.16.* Teſtamenti, & quidem abſoluta, & non pendens ab arbitrio, & voluntate Marchioniſſæ, ſed ab ipſius obitu; è contra verò eiuſdem Franciſci Mariæ excluſio in caſu moleſtiarum ordinata fuit in *§.17.* per modum pœnæ, & non conditionis, adeòque quatenùs moleſtiæ per illum illatæ, eſſent de prohibitis à Teſtatore, adhuc caducitati locus eſſe non poterat, niſi præcedente ſententia declaratoria ſuæ contraventionis; hæcque quatenùs adeſſet, non fuit doloſa, malitioſa, & proterva, ſed pluribus cauſis excuſabilis; ideòque non fuiſſe incurſam pœnam caducitatis; neque revera adfuit contraventio, quia moleſtiæ non fuerunt de prohibitis à Teſtatore. Ex quibus omnibus patet, quòd cum poſſeſſio bonorum hęreditariorum bo. me. Marchionis Ruſpuli capta poſt obitum Marchioniſſæ per D. March. Franciſcum Mariam ſit munita claro bono jure, & è converſo poſſeſſio D. Equitis Alexandri Bichii habeat manifeſtam illius reſiſtentiam, illi, & non iſti danda eſt manutentio, cum in hiſce terminis petitorium abſorbeat poſseſsorium, & ad evitandos inutiles circuitus pro celeriori juſtitiæ implemento, omiſso rigore judicii poſseſsorii, manutentio conceditur habenti jus clarum, &
90 indubitatum, ex congeſtis per Cancer. *var. reſol. lib.3. c.14. n.54. & ſeqq.* Fontanell. *de pact. nupt. clauſ.7. gloſ.3. p.10. nu.64.* & plenè Poſth. *de manut. obſerv.42. à n.146. uſque ad 154. cum ſeqq.* & frequenter reſpondit Rota, & ſignanter *dec.234. n.32.* coram Alexand. VIII. *& dec.255. n.22. p.11 rec.* ubi concordantes; & ita millies obſervavit, quoties ſtante turbiditate poſſeſsorii mandavit, ut videretur de bono jure juxta eius ſty-
91 lum, de quo Card. de Luca *de fideic. diſc.13. n.9. & diſc.138. num.1.* & ſignanter in Camerinen. Cenſuum, & 10. Martii 1698. & 23. Junii ejuſdem anni coram me, & 20 Martii 1599 *§. finali*, coram R.P.D. meo Pio, & in Romana Communantiarum 24. Januarii 1701. *§. Verumtamen*, & 1. Julii ejuſdem *§. Et ſane*, coram me, & latè; ac doctè ultimo loco explicatur in eadem Romana Communantiarum 2. Ian. 1702. *§. 17. & §.21.* coram R. P. D. meo Anſaldo.

Et ita utraque parte acriter, & nimis diffusè informante, reſolutum fuit.

R.P.D. MOLINES DECANO.

Romana Hæreditatis de Ruſpulis ſuper Attentatis.

Veneris 13. Junii 1704.

A R G U M E N T U M.

Attentatorũ purgatio non demandatur, quando conſtat de claro bono iure attentantis. Ad incurren. caducitatem ob præſtitas moleſtias requiruntur moleſtiæ doloſę, maximè quando caducitas eſt inflicta per modum pœnæ; & ſi hæres poſt caſum moleſtiarum continuat in præſtatione alimentorum ſubſtituto, ex hoc deſumitur, quòd vel caducitas non fuit incurſa, vel quod fuit remiſsa.

S U M M A R I U M.

1 *ATtentata in primis, & ante omnia veniunt purganda.*

2 *Regula limitatur: quoties vel ex claro inſtrumento, vel ex re judicata, vel ex confeſſione partis conſtat de bono jure attentantis, nec agitur de attentatis merè doloſis continentibus poſitivum ſpretum judicis.*

3 *Licèt etiam concurrente non jure petentis poſſit ex officio judicis, cuius majeſtas ſpreta eſt, demandari attentatorum purgatio; tamen valet etiam judex ex rationabili cauſa & ad evitandos inanes circuitus à revocatione attentatorum ſe abſtinere.*

4 *Dicitur autem conſtare de bono jure attentantis ex inſtrumento, quando ipſe pro ſe habet teſtamentum clarum, in quo vocatus, ſeu ſubſtitutus exiſtit.*

5 *Moleſtiæ præſtitæ hæredi à ſubſtituto, quando tendunt in executionem voluntatis teſtatoris, dicuntur juſtæ, nec ſufficiunt ad incurrendam caducitatem.*

6 *Quando caducitas demandata in caſu moleſtiarum eſt appoſita per modum pęnæ, tunc ad eam incurrendam requiruntur moleſtiæ doloſæ, & protervæ.*

7 *Argumentum à neceſſario antecedenti procedit in omni materia, & etiam in ſententiis.*

8 *Solvens alimenta ſubſtituto poſt caſum moleſtiarum, fatetur illum non incurriſſe caducitatem, vel denotat illam voluiſſe remittere, & num.10.*

9 *Solvens auctoritate judicis, dicitur ſpontè ſolvere, quia judex ritè procedens vim non infert.*

D E C I S I O LXXXVI.

EX eiſdem rationibus, quibus in alia deciſione ſub hac eadem die evulgata reſpondit Sac. Rota, conſtare de bono iure D. Marchionis Franciſci Marię Ruſpuli, etiam ad effectum manutentionis, cenſuit quoque conſtare de illius bono iure etiam ad effectum excluſionis attentatorum; nam quidquid ſit, an poſſeſſio bonorum hęreditariorum bon. me. Marchionis Franciſci Ruſpuli capta à pręnominato Marchione Franciſco Maria, revera ſubiaceat vitio attentatorum, uti apprehenſa pendentibus nonnullis inhibitionibus judicum, & ſignanter noſtri Tribunalis decreta à R. P. D. meo Caprara; illud certum, & abſolutum eſſe dixerunt DD. quòd famigerata regula, ut attentata in primis, & ante omnia veniant purganda, de qua Scribentes
in cap. non ſolùm de appellat. in 6. communiter limitatur, quan- 1
do conſtat de non jure petentis purgationem, ac per conſequens de bono jure prætenſi attentantis, vel ex publico, claro inſtrumento, vel ex re judicata, aut ex confeſſione partis; alterutro enim ex hiſce modis reſultante malo iure inſtantis pro revocatione actuum attentatè geſtorum, judi-
ces, & ſignanter ſupremorum Tribunalium, ad evitan- 2
dos inutiles circuitus excuſant attentantes, eoſque liberant à neceſſitate purgationis, quoties potiſſimè non agatur de attentatis merè doloſis, & ſcandaloſis, ſpretum poſitivum judicis continentibus, per ea, quæ tradunt Innoc. *in cap. Conſtitutis de filiis presbyt.* Joan. Monac. *in cap. Cupientes n.192. de elect. in 6.* Rota *dec. 67. ut lite pendente in antiquis, & dec.2. de reſtit. ſpoliat. in novis*, Lancellot. *de attentatis p.3. c.24. q.1. n.65.* Mareſcot. *var. reſol. lib.2. c.121. n.39.* Macerat. *var. reſ. c.50. n.19.* Fontanell. *dec.313. n.17.* Rot. coram Greg. *dec.645. n.9. & dec.366. n.13.* cor. Royas, *& dec.248. n.7. p.11. & dec.321 n.4. p.16. & dec. 64. n.42. p.17.* & in Ferrarien. reſtrictionis Ghetti ſuper dubio attentatorum, 13. Martii 1696. coram R. P. D. Muto, & in Compoſtellana Parochialis ſuper attentatis 25. Jun. eiuſdem anni, cor. R. P. D. meo Priolo, & in Salamantina juris conferendi ſuper attentatis 3. Dec. proximè præteriti, *§. Etenim*, cor. me.

Et quamvis ſtante etiam non jure petentis, purgatio attentatorum Officio judicis, cuius majeſtas læſa fuit, demandari valeat; nihilominùs non ſunt ligatæ judicantium manus, quominùs ex rationabili cauſa, & ad evitan-
dos inanes circuitus, & expenſas conſiderabiles in reno- 3
vatione poſſeſſionis faciendas, abſtinere non poſſint à revocatione attentatorum, ex relatis per Rotam *in dec. 56. nu. 6.* coram Ninot.

In præſenti equidem non ſolùm ex uno, ſed ex triplici præmemorato capite, conſtitit de malo jure D. Equitis Bichii, & de bono jure Marchionis Franciſci Mariæ, & ſanè ex publico inſtrumento, nempè ex Teſtamento dicti Marchionis Franciſci Ruſpuli, in quo bo. me. Marchioniſſa Hieronyma Bichia ejus coniux rogata, & obligata fuit ad *inſtituire,*
ſoſtituire, e reſtituire la mia Eredità, & aver riguardo, e riflettere 4
alla perſona del Sig. Franceſco Maria, quale hò ſempre amato, concorrendo in detto Signor Franceſco la facilità della conſervatione della Caſata Ruſpoli &c. quæ verba importare onus omninò inſtituendi, & ſubſtituendi Marchionem Franciſcum Mariam plenè conſtabilitum legitur in alia deciſione, *§. Hæc tamen noviſſima prætenſio, cum ſeqq.*

Non officiente, quòd Marchioniſſa in caſu quo Franciſcus Maria eam moleſtaſſet, potuerit, imò debuerit illius loco alterum inſtituere, & ſubſtituere. Quandoquidem manifeſtè conſtitit non eveniſſe caſum d. alterius inſtitutionis, & ſubſtitutionis, ſive quia teſtator illas tantùm vetuit moleſtias, quæ poterant ipſius voluntatem ſubverte; ſecùs verò alias, quæ dirigi potuiſſent pro illius totali, & plenario adimplemento, ut in alia deciſione, *§. Sed vero excuſsos* taleſque fuerunt moleſtiæ, quas paſſa fuit Marchioniſſa, dum lites omnes adversùs ipſam inſtructæ habuerunt pro principali obiecto, & unico fine exequutionem eorum, quæ teſtator in ſuis ultimis tabulis Marchioniſſam verbis præceptivis facere, & adimplere gravaverat, ut latè oſtenditur in alia deciſione, *§. Et ſane cum ſeqq.*

Sive quia quatenùs illatæ moleſtiæ eſſent de prohibitis à teſtatore, adhuc cum excluſio moleſtantis fuerit ordinata per modum pęnæ, & non conditionis, utique ad illam incurrendam neceſſariæ erant moleſtiæ doloſæ, protervæ, &
9 malo animo datæ, ex plenè firmatis in dicta deciſione, *§. Copioſas*; quàm ſanè indolem non habuerunt illę, de quibus agitur, ſive reſpiciatur ad qualitatem perſonarum, à quibus directè, & indirectè proceſſerunt, ſive conſiderentur cauſę, ob quas de facto illatę fuerint, ſive demùm reflectatur ad licentias, & venias iudicum impetratas ante ſingularum moleſtiarum introductionem, per ea, quę abundè ponderata leguntur in ſępè allegata deciſione, *§. Et in univerſum.*

Ultra publicum inſtrumentum concurrit res iudicata; nam per plures ſententias latas in judicio ſuper Trebellianica, ac in altero ſuper pręſtatione alimentorum, Marchio Franciſcus Maria declaratus fuit hæres indubitatus Marchionis Patrui poſt obitum Marchioniſſæ. Prout etiam non deficit res judicata ſuper eo, quòd teſtator non prohibuerit
7 illas moleſtias, quæ tendere poterant in adimplementum ſuæ voluntatis, dum hoc expreſsè reſolutum fuit in deciſionibus editis in d. Romana Trebellianicæ ſuper præventivo, cor. bo. me. Emerix. Non obſtante, quòd talis declaratio expreſſa non legatur in ſententiis, quia tacitè, & tanquam neceſſarium antecedens ſupponi debet; nam alias dictum judicium non erat exercibile, ſi Marchioniſſa non potuiſſet moleſtari, quando contrafeciſſet iis, quæ teſtator expreſsè, vel tacitè in ſuo teſtamento diſpoſuerat; argumentum autem à neceſſario antecedenti valet in omni materia, & etiam in ſententiis, ut reſpondit Rota cor. Seraph. *dec.776. n.1. & per tot. tom.1.*

Nec demùm deeſt confeſſio Marchioniſſę, nam ipſa pluries agnovit Marchionem Franciſcum Mariam uti hæredem, & indubitatum ſucceſſorem Marchionis conjugis, prout lato calamo dictum fuit in deciſione, *§. Sed multo magis*. Minùſque deſideratur confeſſio, quòd moleſtiæ non eſſent de prohibitis à teſtatore, vel ſaltem quòd fuerint doli, & fraudis expertes, tum quia cum illas principaliter inſtituiſſet bo. me. Comes Capizucchius Franciſci Marię Genitor, & Eminentiſſ. & Rever. Card. Galeatius Mariſcottus Patruus, contra iſtos nunquam actum fuit pro caducitate à commodo legatorum, quando aliàs pœnalis prohibitio moleſtandi, illos quoque afficiebat; hinc proinde tacita videtur oriri confeſſio, quòd factus non fuerit locus dictæ caducitati: tum pariter quia eadem Marchioniſſa poſt dictas moleſtias liberè, & ſine ulla cautione perſolvit alimenta Marchioni Franciſco Marię tanquam indubitato hęredi patrui, ex quo actu videtur tacitè declaraſſe, quòd ipſe non incurrerit caducitatem, vel quatenùs eam incurriſſet, voluiſſe il-
8 lam remittere, per ea, quę tradunt Burſatt. *conſ.26. n.22. verſ. Accedat lib.1.* Mand. Alb. *conſ.369. n.12.* Rimin. Jun. *conſ.679. n.97. lib.6.* Barr *de ſuc. lib.9. tit.28. n.8. verſ. ut ſi poſt moleſtiam commiſſam*, Galganet. *de cond. et demonſtr. p.2. c.5. q.10. n.14. verſ.9.*

Abſque eo, quòd turbet, quòd Marchioniſſa ſolverit alimenta coacta vigore judicati Rotalis; quoniam placuit reſponſio, quòd ſolvens auctoritate judicis, cenſetur ſpontè ſolviſſe, dum judex ritè, & rectè procedens non dicitur in-
9 ferre nec vim, neque metum, Trentacinq. *var. reſol. lib.1. tit. de his, qui met cauſ. reſol.1. nu.37.* Craſ. *de except. c.11. n.72.* Cataneus *dec.8. num.3.* Et ſi Marchioniſsa voluiſset ſibi non ingerere præjudicium ex dicta ſolutione, debebat ſtatim intentare judicium ſuper caducitate, quia quatenùs iſta fuiſset incurſa, utique Rota non conceſſiſset præſtationem dictorum alimentorum Franciſco Mariæ; vel ſaltem debebat ſolvere alimenta ſine præiudicio caducitatis, quæ cum peracta non fuerint, clara remanet confeſſio, quòd vel locus
10 non erat caducitati, vel quòd ea fuerit remiſsa, cum ſtare ſimul nequeant, quòd ſolvantur alimenta Marchioni Franciſco Mariæ tanquam hæredi, & ſucceſſori bonorum domus Ruſpulæ, & quòd ipſe ab eiuſmodi hæreditate, & ſucceſſione caducatus remanſerit, ex iuribus ſupra allegatis.

Et ita utraque parte informante reſolutum fuit &c.

R. P. D. MOLINES DECANO.

Romana primogenituræ de Salviatis ſuper iocalibus, & tabulis pictis.

Lunæ 22. Martii 1706.

A R G U M E N T U M.

Fœminæ veniunt ſub fideicommiſſo, ſeu primogenitura relicta ſeniori domus. Quando, & ex quibus ſub vocatione familiæ veniat ſolùm effectiva, & non contentiva, maximè ad excluſionem arrogatorum. Fideicommiſſum ad hoc ut factum dicatur ad relationem alterius antiquioris, debet de tali relatione concludenter conſtare, & maximè ſi plura aderant antiqua fideicommiſſa, ita ut diſcerni nequeat, ad quodnam relatio habita fuerit; ex quibus relatio excludatur; & illa ſuppoſita, an cenſeatur facta ſimilitudinariè, vel ſecundum omnimodam veritatem.

S U M M A R I U M.

1 *QUando non eſt habita perpetua contemplatio agnationis, nec fœminæ ſunt excluſæ per modum regulæ tunc deficientibus maſculis, fœmina comprehenditur in fideicommiſſo relicto ſeniori domus.*

2 *Item comprehenditur in primogenitura, & majoratu.*

3 *Fideicommiſſum, ſeu majoratus inſtitutus favore familiæ ab eo, qui habet filios, cenſetur inſtitutum pro familia effectiva tantùm, niſi conſtet de diverſa voluntate.*

4 *Quòd ſi teſtator nominando familiam non adhibuit pronomen* meam, *ſed alterum* noſtram, *tunc videtur voluiſſe comprehendere familiam in tota ſua latitudine.*

5 *Limita, ſi eodem pronomine* noſtra, *uſus fuerit etiam teſtator, quando de ſola familia effectiva locutus fuit, & n.7.*

6 *Idemque procedit, ſi teſtator dixerit* totam *familiam.*

8 *Maximè, ſi non appoſuit nomen ipſius familiæ, ut ex gr.* de Salviatis.

9 *Item ſi nullibi vocavit collaterales.*

10 *Quando vocatio eſt facta gradatim, intelligitur de familia effectiva, quia ordo gradualis propriè cadit in linea deſcendentali.*

11 *Verbum* in infinito, *ſufficit, ut operetur in familia effectiva, & donec illa durat, & n.43.*

12 *Verba perpetuitatem reſpicientia intelliguntur in caſibus expreſſis, & in quibus ſunt appoſita, nec porriguntur ad diſtinctos, & ſeparatos.*

13 *Sub familiæ nomine non veniunt arrogati, & adoptati, quando teſtator voluit comprehendere ſolam familiam effectivam, et maximè quando agitur de excludenda fœmina agnata.*

14 *Bona alicui majoratui, ſeu primogenituræ aggregata, illius legibus, et conditionibus omninò ſubjacent.*

15 *Fideicommiſſum relativum, et factum juxta formam, et modum alterius, valet, et ſubſtinetur.*

16 *Sed tamen voluntas diſponendi, et teſtandi relativè, debet clarè probari, vel per expreſſa verba, vel per convincentia argumenta.*

17 *Imo etiam convito conſtito de tali voluntate, intrare, an relatio ſit ſolùm ſumenda ſimilitudinariè quoad ordinem, et conditionem ſuccedendi.*

18 *Vel potius ſecundum omnimodam veritatem, et cum identifica comprehenſione perſonarum, et caſuum in diſpoſitione relata recenſitorum.*

19 *Prima tamen opinio, utpotè minùs coarctatoria voluntatis diſponentis, eſt magis recepta.*

20 *Et maximè quando diſpoſitio referens eſt perfecta, et intelligibilis ſine ſuppletione relati, quia tunc dicitur nova, et independens, et n.22.*

21 *Verba diſpoſitiva, ut ſunt* laſcio, lego, ſottopongo al fideicommiſſo &c. *dicuntur abſoluta, et perfecta, et de per ſe fideicommiſſum inducunt abſque alterius diſpoſitionis ſupplemento.*

23 *Fideicommiſſum non poteſt dici factum ad relationem alterius antiqui, quando de antiquo nulla fuit habita ſpecialis mentio.*

24 *Et maxime quando plura aderant antiqua fideicommiſſa, itaut dignoſci non poſſit, ad quodnam habita fuerit relatio.*

25 *Verbum* Maioraſco *idem importat, ac primogenitura.*

26 *Verba in ultimis voluntatibus ſunt interpretanda juxta mentem proferentis, etiam recedendo ab eorum proprietate.*

27 *Verbum* Maioraſco *ſignificat etiam Primogenitum, quando ita ſuadet mens teſtatoris, et ex quibus hæc mens deducatur, n.29.30. et 31.*

28 *Dictio* aut *poſita inter ſimilia, et analoga, reſolvitur in expoſitionem, et declarativam.*

32 *Verba* come ſopra, *ſunt relativa diſpoſitionis ſuperiùs facta, non autem diſpoſitionis diverſa.*

33 *Primogenitura non eſt impropria, ut conſtituatur ſuper mobilibus, imò ſuper una gemma.*

34 *Quando non conſtat de certa voluntate ſe uniformandi cum alio fideicommiſſo, ſemper præſumitur, quòd quis abſolutè, & neviter diſponere voluerit.*

35 *Verbum* gradus, *denotat ordinem ſuccedendi de uno in alium proximum deſcendentem.*

36 *Adoptatus non repræſentat gradum, niſi per fictionem nec venit, quando vocatio eſt facta gradatim.*

37 *In diſpoſitione hominis verba accipi debent in ſenſu naturali, & non civili, & ficto.*

38 *Verba loquentia de gradu, debent intelligi verè non fictè.*

39 *Supponi non poteſt, quòd quis ſe eum altera diſpoſitione, ſeu fideicommiſſo uniformare voluerit, ſi excluſit perſonas in altero comprehenſas.*

40 *Quando adſunt duo antiqua fideicommiſſa, tunc prætendens, quod ad unum potius, quàm ad aliud ſit facta relatio, debet id concludenter probare.*

41 *Et ad ſuadendum hujuſmodi relationem, requiritur, quod illa ſit litteralis, & expreſſa.*

42 *Conſtituens primogenituram ſuper mobilibus, jocalibus, & tabulis pictis, veriſimile eſt, quod ſe conformare voluerit cum alio fideicommiſſo, ſub quo comprehendebatur palatium dictis mobilibus ornatum.*

44 *Relatio potiùs cenſetur habita ad fideicommiſſum antiquius.*

45 *Maximè, ſi iſtud erat magis favorabile illis de ſanguine, & uniforme diſpoſitioni juris.*

46 *Obſervantia multùm deſervit pro interpretatione voluntatis defuncti, maximè quando provenit ab ejus filio, vel hære. de immediato.*

47 *Bona addito fideicommiſſo aſſumunt naturam aliorum bonorum fideicommiſſariorum.*

48 *Oblivio, & ignorantia non præſumitur, quando agitur de rebus magni momenti.*

49 *Oblivio facilè præſumitur in facto alieno poſt lapſum longi temporis.*

50 *Teſti deponenti de voluntate ſibi à teſtatore communicata non creditur, quando inveriſimile eſt, quod teſtator eam ipſi communicaverit.*

DECISIO LXXXVII.

DUplicem bon. mem. Dux Jacobus Salviatus de anno 1668. quo ſuum condidit Teſtamentum, poſſidebat primogenituram, aliam inſtitutam anno 1562. à clar. me. Cardinali Bernardo Salviato ſuper Magno Palatio poſito ſubtus Monaſterium S Honuphrii Urbis, ad quam poſt maſculos admittuntur fęminæ; alteram fundatam anno 1593. à clar. me. Cardinali Antonio Maria Salviato ſuper omnibus ſuis bonis, à qua fęminæ ſunt perpetuò excluſæ, tributa facultate ultimo maſculo primogenito adoptandi in filium alium quemcumque etiam extraneum maſculum, cum onere aſſumendi nomen, & cognomen teſtatoris.

Hiſce itaque præexiſtentibus primogenituris, dictus Dux Jacobus in ultimo ſuæ voluntatis elogio, ſibi in bonis ſuis ſcripſit hæredem univerſalem Franciſcum Mariam filium, ſine ullo onere fideicommiſſi, eo tamen ſolùm adjecto ſuper notabilis pretii jocalibus, & tabulis pictis, de quibus diſpoſuit in hunc, qui ſequitur, modum -- *Delli mobili, e ſuppellettili ordino in queſto modo, cioè, farò io una nota di alcuni Quadri, e Gioje, la quale ſarà regiſtrata nel fine di queſto mio teſtamento, e quelli laſcio al mio erede univerſale ſotto perpetuo fideicommiſſo à favore del Majoraſco, o primogenito della noſtra Caſa, devendo ſuccedere in eſſi, ſiccome voglio, che ſucceda gradatamente uno doppo l'altro in infinito.* Prout in fine teſtamenti, gemmarum, ac tabularum pictarum notulam ſubjecit per hæc alia præciſa verba — *E per eſſere queſta la mia deliberata, & ultima volontà, voglio, che prevaglia ad ogn' altra, che haveſſi dichiarata ſin' hora, caſſando, & annullando, &c. e però ſoggiunta la nota de' Quadri, Gioje, che ho ſottopoſto alla primogenitura, l'ho ſottoſcritta &c. Nota delle coſe, che ho ſottopoſte alla primogenitura, come ſopra.*

Duci Jacobo ſucceſſit in omnibus enarratis primogenituris dictus Dux Franciſcus Maria filius, qui in ejus poſtremis tabulis anno 1698. exaratis, hæredem inſtituit Antonium Mariam ejus unicum filium maſculum, omniaque ſua bona ſuppoſuit dictæ primogenituræ Cardinalis Antonii Mariæ, quam voluit haberi in omnibus, & per omnia pro repetita in ſuo Teſtamento, excepto quoad poteſtatem conceſſam ultimo primogenito adoptandi, ſeu arrogandi in filium maſculum etiam extraneum, illam tam reſpectu primogenituræ dicti Cardinalis Antonii Mariæ, quàm ſuæ reſtringendo, & limitando ad unum maſculum de familia, & cognomine de Salviatis, ad ſui hæredis univerſalis electionem.

Elapſis ſex annis à die obitus Ducis Franciſci Mariæ, occubuit Dux Antonius Maria filius, qui cum careret prole maſculina, unicamque filiam D. Catharinam Mariam Zeffirinam, ſuſceptam ex D. Duciſſa Maria Lucretia Roſpiglioſia, in infantili ætate relinqueret, illam hæredem inſtituit, & ad enarratas binas primogenituras Card. Antonii Mariæ, & Ducis Franciſci Marię Patris elegit, & nominavit D. Marchionem Antonium Salviatum, hodie Ducem Antonium Mariam.

Cumque inter ipſum, & D. Duciſſam Mariam Lucretiam, nomine prędictę ſuę filię pupillę, occaſione ſeparationis bonorum, ſive ſtrepitu forenſi, ac laudabili animorum nobilium concordia ſequutę, aliqua irrepſerint dubia reſpectu pertinentię dd. jocalium, & tabularum pictarum Ducis Jacobi, ac nonnullorum canonum domus Salviatę, quę ob hinc inde propoſitas difficultates non valuerunt (ut partes peroptabant) intra domeſticos parietes amicabiliter diſſolvi; idcircò mediante ęquè voluntario, & concordi compromiſſo, dictas duas quęſtiones definiendas detulere ad hoc noſtrum Sacrum Auditorium; quare duabus pręviis deciſionibus, remota quacumque appellatione, omnibus Dominis ſuffragantibus, reportataque neceſſaria commiſſione manu Sanctiſſimi ſignata, hodie propoſui diſceptationem ſuper jocalibus, & tabulis pictis ſub dubio — *An, & de cujus bono jure conſtet?* & habui reſponſum — *Conſtare de bono jure Dominę Duciſſę Marię Lucretię nomine filiæ pupillę.*

Ratio decidendi ſubnixa fuit ſupramemoratę diſpoſitionis Ducis Jacobi, in qua dicta jocalia, & tabulę pictę ſuppoſita leguntur fideicommiſſo favore *del Majoraſco, o primogenito della noſtra Caſa, dovendo ſuccedere in eſſi, ſi come vogli che ſucceda gradatamente uno dopo l'altro in infinito.* Quę verba comprehendunt etiam D. Catharinam
Mariam Zeffrinam. Cum enim bon. mem. Dux Anto- 1
nius Maria ejus genitor deceſſerit abſque filiis maſculis, & nullus etiam hodie adſit, vel concurrat maſculus deſcendens ex Duce Jacobo Teſtatore, iſteque fęminas expreſsè, & per modum regulę non excluſerit, neque cęteroquin aliundè probetur, fuiſse per illum habitam perpetuam contemplationem agnationis, certum exinde efficitur, quòd appellatione primogenitorum domus, deficientibus maſculis primogenitis, veniunt etiam filię fęminę ultimorum primogenitorum, quantumvis nuptę in aliena familia, & multò magis ſi ſint innuptę, cum fęminę natę ex maſculis dicantur de familia, ſeu domo Patris, & agnationem, quouſque vivunt, retinent, & conſervant, & per poſterius capaces ſunt non ſolùm fideicommiſſi familiaris, ſed etiam primogeniturę, & majoratus, ut in terminis fideicommiſſi relicti pro ſeniore domus, & familię, tradunt Altograd. *conſ.* 96. *num.* 10. *lib* 1. Mart. *de ſucceſs. legal. part.* 1. *quęſt.* 11. *art.* 1. *num.* 13. Rodulphin. *allegat.* 119. *num.* 2. Rot. *deciſ.* 133. *num.* 4. & 5. *cum ſequent. part.* 9. *recentior* & benè in Mantuana Beneficii 3. Junii 1698. *à* §. *Neque validum uſque ad totum* §. *Hoc enim*, coram bon. mem. Urſino, & in terminis primogeniturę, & majora-
tus, Molin. *de primogenit. lib* 3. *cap* 4. *nu.* 4. Mierez *de majorat. part.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 45. *& ſequen.* Hieronym. Palm. Sen. *conſ.* 2
66. *num.* 53. ubi citat concordantes, quos etiam larga manu refert Joſeph de Roſ. *conſ.* 69. *num.* 2. Card. de Luc. *de feud. diſc.* 45. *num.* 3. *& de fideicom. diſc.* 40. *num.* 2. & 3. Torr. *de primogenit. part.* 1. *quæſt.* 25. §. 2. *numer.* 14. *cum ſeqq.* & §. 5. *numer.* 27. Rot. *deciſ* 349. *numer.* 1. & 2. *part.* 7. *& deciſ.* 65. *numer.* 1. *& ſequent. part.* 8. *& deciſ.* 651. *numer.* 6. coram Dunozett. Jun.

Abſque quòd dici valeat, quòd ſub nomine *primogeniti della noſtra caſa* cenſeantur vocati non ſolùm primogeniti familię, effectivę Ducis Jacobi, ſed etiam contentivæ, de quá prętendit eſſe modernus Dux Antonius Maria Salviatus, ac proinde adhuc extante primogenito maſculo vocato, fęminę remaneant excluſę; quoniam communior, & verior Doctorum ſententia eſt, quòd fideicommiſsum, ſeu majoratus inſtituti favore familię ab eo, qui habet filios (non concurrentibus diverſę voluntatis indiciis, & conjecturis) cenſeri, & intelligi debent ordinati pro familia effectiva tantùm, & non pro conten-
tiva, ex doctrina Bald. *in l. peto,* §. *Fratres num.* 1. *ff. de legat.* 1. quam ſequuntur Ruin. *conſ.* 153. *lib.* 2. Pariſ. *conſ.* 51. *nu.* 5. *& ſequen. & ſequen. lib.* 2. Fuſar. *quæſt.* 248. *num.* 4. Peregrin. *deciſ.* 134. *num.* 4. *cum ſequent.* Rovit. *conſ.* 27. *num.* 15. *lib.* 1. de Marin. *reſolut.* 122. *numer.* 4. & 5. *lib.* 1 Urceol. *conſult. forenſ. cap.* 74. *numer.* 2. Card. de Luca *de fideicom. diſc.* 51. *num.* 3. Palm. Nepos *allegat.* 101. *num.* 4. Torr. *de primogenit. Italiæ lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 242. & 243. Rot. *deciſ.* 669. *num.* 4. & *num.* 15. 16. & 17. coram Merlin. *& deciſ.* 367. *numer.* 8. coram Card. Celſo, *& deciſ.* 7. *numer.* 55. *part.* 10. *& deciſ.* 181. *numer.* 12. & 13. *part.* 12. *recent.* 3

Non relevante, quod nomen *domus* non ſit concomitatum pronomine perſonali *ſua*, ſive *mea*, ſed cum illo *no-*
4 *ſtra*, quod videtur comprehendere generaliter totam familiam in ſua latitudine; nam quidquid ſit de ſtricta, & vera importantia pronominis *noſtra*, illud certum viſum fuit, quòd Dux Jacobus Teſtator illud non adhibuit ad exprimendam totam familiam, ſed ſuam effectivam tantùm, dum in aliis partibus teſtamenti, in quibus loquutus fuit de familia effectiva, illam quoque denominavit ſub nomine *noſtra*, & ſignanter quando fecit legatum habitationis Duciſſæ Veronicæ uxori, ubi ita ſcripſit, ibi -- *li laſcio nel noſtro Palazzo della Longara habbia l' habitazione*, & infra -- *in tutti li Palazzi, e ville della noſtra caſa*, & alibi -- *pitture, che eſiſtono nella noſtra caſa di Roma &c.* Loquens enim de Palatio Urbis, uti ſpectante ad familiam, certum eſt, quòd ſub pronomine *noſtra* nonniſi familiam effectivam connota-
5 re voluit, ad quam ex Teſtamento Cardinalis Bernardi Salviati idem Palatium ſpectabat; atque ideò dictum verbum *noſtra* explicandum eſt in eum ſenſum, in quo Teſtator illud in aliis partibus Teſtamenti adhibuit, & in illo ſignificatu, quo uſus fuit, ex Theorica Bertol. *in leg. Centurio, n.* 27. *ff. de vulgar. & pupill* Mantic. *de conjunct. ultim. vol. lib.* 6. *tit.* 13. & dixi Rota in Interamnen. fideicommiſſi 11. Decembris 1705. §. *Prout*, coram me, & in ſpecie, ac in
6 terminis fortioribus vocationis familiæ cum dictione *tota*, tradit Rovit *dicto conſ.* 27. *n* 27. *tom.* 1:

Ut hinc proindè cum juxta ſenſum Teſtatoris idem ſignificaret pronomen *noſtra*, ac *mea*, quod eſt perſonaliſſimum, clarum aſſurgit argumentum, quòd ſub nomine domus *noſtra* familiam tantùm effectivam, & non etiam con-
7 tentivam invitaverit, ut communiter tenent Rovit. *dicto conſ.* 27. *n.* 11. Giovagnon. *conſ.* 39. *n.* 20. *lib.* 1. Manſ. *conſult.* 369. *num.* 9. Torr. *de primogenit. Ital. dicto cap* 33. §. 8. *num.* 244. Card. de Luca *de fideicomm. diſc.* 51. *num.* 3. Rot. *deciſ.* 362. *part.* 5. *rec.*

Attentis potiſſimè pluribus aliis particularibus circumſtantiis, aſſumptum comprobantibus, quòd nempè ex-
8 preſſum non fuit nomen *familiæ de Salviatis*, qua ceſſante nominatione, eò faciliùs excluditur vocatio Collateralium, Manſ. *conſultat.* 305. *n.* 18. 19. 20. Rot. *deciſ.* 7. *num.* 7. *& ſequent part.* 10. *recent. & deciſ.* 232. *num.* 18. *part.* 19. *recent.* cum aliis relatis per de Marin *dicta reſolut.* 132. *ſub num.* 1. Quòdque in nulla parte Teſtamenti leguntur vocati *Collaterales*,
9 quo argumento negativo utuntur in ſpecie Altograd. *conſ.* 66. *num.* 47. & 48. *volum.* 2. Rot. *deciſ.* 1438. *num* 8. coram Seraphin. *& deciſ.* 707. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* Ac demùm, quòd primogeniti vocantur *gradatamente uno doppo l' altro in infinito*,
10 qui ordo gradualis propriè cadit in linea deſcendentali, in qua progreditur fideicommiſſum deorſum de uno in alterum, & erga quam lineam affectio aſcendentis in infinitum protrahitur, Cæſar. de Afflict. *controv.* 32. *numer.* 50. & 52. & faciunt deducta per Palm. Nep. *alleg.* 235. *num.* 68. *tom.* 3.

Non turbante verbo *in infinito*, quia ſufficit, quòd verificetur in familia effectiva, eaque durante, ut in his termi-
11 nis dixit Rota *dec.* 300. *n.* 28. *par.* 1. *recent. & dec.* 15. *n.* 17. *part.* 7. *rec.* ubi quòd verbum *perpetuo*, ſecundùm ſubjectam materiam, nedum verificari dicitur in una familia effectiva, ſed etiam in vita unius vocati; & generaliter, quòd verba perpetuitatem reſpicientia intelliguntur evenientibus caſibus, quibus apponuntur, neque ad alios diſtinctos, & ſeparatos porriguntur, dixit Surd. *dec.* 9. *n.* 16. & Rota coram
12 Peutinger. *dec.* 43. *n.* 10. & cor. ſan. me. Alexandro Octavo *dec.* 111. *n.* 16. 20. & 21. cum aliis penes Torr. *de primogenit. Ital. cap.* 38 *n* 226. *& duobus ſeq.*

Ex quibus conſequutivè proficiſcitur excluſio Ducis Antonii Mariæ, quatenùs uti adoptatus in familiam Salviatam contenderet, eſſe vocatum in dicto fideicommiſſo à Duce Jacobo ordinato pro primogenitis domus. Quia cum, ex præmiſſis, dictus teſtator ſub illorum nomine comprehendere tantùm intellexerit ſuam familiam effectivam, & non contentivam, multò minùs dici poteſt voluiſſe complecti arrogatos, & adoptatos, quibus nullo pacto
congruit qualitas deſcendentiæ, & ſanguinis, maximè in 13
excluſionem fęminæ agnatæ, ex eodem Teſtatore deſcendentis, ut benè Rota coram Rembold. *dec.* 475. *n.* 10. & latè in Romana Juſpatronatus 3. Junii 1705. §. *Sed cum verba cum ſeq.* coram me.

Agnoſcendo defenſores moderni Ducis Salviati, quòd verba dictæ primogenituræ Ducis Jacobi nullo modo comprehendere valeant primogenitos lineæ Collateralis in excluſionem D. Catharinæ Marinæ Zeffirinæ deſcendentis, vim præcipuam conſtituebant in altero fundamento, quòd nempè idem Teſtator non intellexerit condere novam, & particularem primogenituram ex integro ſuper dd. jocalibus, & Tabulis pictis, ſed voluerit illa ſubiicere, & aggregare antiquo majoratui, & primogenituræ ordinatæ de anno 1593. à Cardinali Antonio Maria Salviato; & cum hujuſmodi maioratus ſpectet ad modernum Ducem Antonium Mariam virtute nominationis ad eius favorem factæ ab ultimo Duce Salviato, conſequens ſit, quòd ad eumdem quoque pertinere debeant iocalia eidem
primogenituræ ſuppoſita, & aggregata, cum bona ma- 14
joratui ſuperadiecta non diſtinguantur ab ipſo maioratu, illiuſque legibus, & conditionibus ſubiaceant, ad Text. *in leg.* 1. §. *Præterea*, *ff. de ſeparat. bonorum*, Mierez *de majorat. part.* 1 *quæſt.* 10. *n.* 21. *& part.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 51. *verſic. qua doctrina, & num.* 26.

Æquè tamen inſubſiſtens viſa fuit hæc altera, & principalis Moderni Ducis Antonii Mariæ prætenſio, licèt enim de jure teneant diſpoſitiones relativæ ad Teſtamentum alterius, & paſſim fieri ſoleant inſtitutiones fidei-
commiſſorum juxta formam, & modum ordinatum in 15
alterius diſpoſitione, ex congeſtis per Peregrin *de fideicommiſſ. artic.* 16. *numer.* 114. *& art.* 51. *num.* 37. cum aliis penes Torr. *de primogenit. Ital. part.* 2. *quæſt.* 20. *numer.* 2. & 3. Rota *deciſ.* 97. *num.* 5. & 6. coram ſan. mem. Alexandro VIII. attamen cum teſtari relativè ad diſpoſitionem alterius, ſit quid facti, debet utique clarè, & evidenter probari, vel mediante litterali ejuſdem expreſſione, vel ex verbis, & argumentum illam clarè, & concludenter oſtendentibus,
leg. qui accuſare, Cod. de edend. l. mavia, ff ſolut. matrimon. Fon- 16
tanell. *de pact. nuptial. clauſ.* 6. *gloſſ.* 1. *quæſt.* 2 *num.* 75. Cyriac. *controverſ.* 327. *num.* 26 Rota *deciſ.* 379. *numer.* 33. coram Bich. *& in deciſ.* 381. *num.* 1. *part.* 17. *recent. & deciſ.* 60. *num.* 6. *part.* 5. *tom.* 2. *recent.* & in ſpecie tradunt Franciſc. à Ponte *conſ.* 63. *num.* 36. *& ſeq. lib.* 1. Molin. *de primog. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 6. *in fin.*

Eſtque ita verum, quòd conſtare debeat certitudinaliter de voluntate teſtatoris diſponendi relativè ad alteriùs judicium, & voluntatem, ut etiam in caſu, quo in teſtamento litteralis adeſſet talis relatio, adhuc inter noſtros do-
ctores verſata eſt quæſtio, an illa intelligenda ſit juxta ſi- 17
militudinem quoad ordinem, & conditionem ſuccedendi, ut tenuit Soccin. Jun. *conſ.* 75. *lib.* 3. vel ſecundùm omnimodam veritatem circa integralem diſtributivam comprehenſionem omnium perſonarum, prout vocatæ leguntur
in diſpoſitione relata, ut conſulvit Dec. *reſponſ.* 362. *num.* 18
497. Eſt opinio Soccini, utpotè minùs coarctatoria voluntatis diſponentis, eſt magis communiter recepta, eamque
tuentur Peregrin. *de fideicommiſſ. art.* 16. *num.* 114. Caſanatt. 19
conſil. 56. *num.* 57. *per tot.* Cardinalis de Luca *de fideicomm. diſc.* 119. *num.* 5. *& diſcurſ.* 252. *in ſupplement. ſub num.* 4. Torr. *de Primogenit. Ital. quæſt.* 20. *num.* 14. *& quæſt.* 22. *num. primo*, Rot. *deciſ.* 1748. *num.* 4. *& ſequen. & deciſ.* 1787. *nu.* 5. coram Coccin. *& deciſ.* 432. *num.* 17. §. *Decius*, *& num.* 18. coram Merlin. *& deciſ.* 205. *num.* 2. coram Emerix Jun. *& deciſ.* 180. *num.* 15. *par.* 17.

Neque ullum hæc opinio Soccini habere videtur contradictorem in dubio, & quoties diſpoſitio referens ſit omnibus numeris abſoluta, & in ſuo ſenſu omninò perfecto, ac intelligibili, ſine relati ſuppletione; nam tunc cenſetur nova, & independens à diſpoſitione relata, ex dedu-
ctis per Caſanatt. *dicto conſ.* 56 *n.* 51. Torr. *de primogenitur. Ital.* 20
dicta quæſt. 20. *num* 18. §. *Inſuper*, *& num.* 19. *et qu.* 22. *num.* 1. *et n.* 7. Rot. *deciſ.* 178. *n.* 1. *et ſeq. par.* 3. *et deciſ.* 1807. *num.* 7. coram Coccin. *et deciſ.* 342. *num.* 18. coram Merlin. *et d. dec.* 180. *n.* 15. *parr.* 17. *recent.*

His ſic præmiſſis, applicando activa paſſivis, planam eſſe cenſuerunt Domini, diſpoſitionem factam per Ducem Jacobum de controverſis jocalibus eſſe completam, & perfectam, nullo alterius diſpoſitionis egentem adjutorio, ad hoc, ut intelligi, & executioni demandari valet, dum continet legatum eorundem iocalium, & tabularum pictarum, expreſſum per verbum diſpoſitivum -- *E quelli laſcio*

al mio

al mio Erede univerſale, -- ac rursùs continet præceptum ut in eiſdem ſemper ſuccederent primogeniti ſuæ domus, ibi -- *E quelli laſcio al mio Erede univerſale, ſotto perpetuo fideicommiſſo à favore del Majoraſco, o primogenito della noſtra caſa, dovendo in eſſi ſuccedere, ſicome voglio, che ſucceda gradatamente uno doppo l'altro* -- Quæ verba ſunt abſoluta, & diſpoſitiva, ac inducunt de per ſe expeditam fundationem primogenituræ, ut in ſpecie ſimilium verborum *legavit, & legat,* & aliorum, *ut domus reſtet vinculata, & obligata fideicommiſſo,* tradunt Torr. *dicta quaeſt. 22. num. 2. 3. 4. part. 2. &* Rot. *deciſ. 432. num. 5.* coram Merlin. *& deciſ. 1748. num. 2. & 1807. num. 5.* coram Coccin. *& deciſ. 97. num. 5.* coram ſan. mem. Alex. VIII. *& deciſ. 100. num. 11. & in recent. deciſ. 180. num. 16. part. 17.*

Si ergo etiam, ubi diſpoſitio Ducis Jacobi eſſet relativa ad antiquum majoratum, adhuc tamen quia illa eſt abſoluta, perfecta, & completa, ſuppoſita relatio intelligen-
22 da eſſet in abſtracto, ita ſcilicet, ut cenſeretur facta ad formam nudam, & à perſonis abſtractam, & non in concreto, ideſt ad formam reſpectu earumdem perſonarum, ut eleganter explicat Caſanatt. *dicto conſ. 56. num. 1. §. vel ut uno verbo:* Quantò magis, dicebant Domini, eadem perfecta, & abſoluta diſpoſitio Ducis Jacobi ſuadere debet inductionem novæ, & particularis primogenituræ, independenter ab antiqua, ſi reflectatur, quòd in illius contextu nullum legitur expreſſum verbum præſeferens relationem ad aliam primogenituram, prout ſine ullo hæſitandi principio deficit expreſſa relatio ad illam ſpecialem Cardinalis Antonii Mariæ. Qui porrò defectus expreſſæ relationis valdè influit ad excluſionem virtualis deductæ vel ex præſumptionibus, & ratiociniis, vel ex verbis æquivocis, ex ea efficaci ratione, quia non poteſt facilè percipi, quòd Dux Jacobus intendens augere notabili additamento jocalium, & tabularum pictarum
23 inſignis valoris, primogenituram dicti Cardinalis, talem ejus animi determinationem plam, & litteris expreſſis non explicaverit, ſed clam, & ſecretò per verba ſubintellecta, & per figuras ab oraculo judicis interpretandas indigitare voluerit, quando aliàs ipſe optimè ſciebat, quòd in domo ſuâ de Salviatis non una, ſed plures aderant primogenituræ, quarum de certa ſcientia expreſsè meminit in ſuo teſtamento, ibi -- *E perche ſo, che trà li Beni da me goduti, ve ne ſono alcuni ſottopoſti à primogeniture,* -- itaut ex eo ſolùm, quòd aderant aliæ primogenituræ per teſtatorem cognitæ, neceſſaria ſimpliciter fuiſſe declaratio ipſius,
24 quamnam illarum augere intellexerit, ut evitarentur quæſtiones, & controverſiæ, in quibus modò verſamur; hujuſmodi enim manifeſta inveriſimilitudo ſuadet, quòd mens teſtatoria fuerit conſtituendi novam, & particularem primogenituram in jocalibus, & tabulis pictis, & non augere antiquam, aliàs clarè loquutus fuiſſet; nec erat neceſſarium multiloquium, ſed ſufficiebat verbo *al Primogenito* addere *del Cardinale Antonio Maria,* ut in ſimilibus terminis notavit Surd *conſil. 466. n. 7. & ſeq.* Rot. cor. Ludoviſ. *dec. 433. n. 4. & dec. 620. n. 19 part. 19. tom. 2.* & in ſpecie *in dec. 475. n. 5.* coram Rembold.

Et ſanè nec virtualis relatio rectè inferri poſſe viſa eſt ex illis verbis -- *E quelli* (id eſt jocalia, & tabulas pictas) *laſcio al mio Erede univerſale ſotto perpetuo fideicommiſſo à favore del Majoraſco, o primogenito della noſtra Caſa* -- ſub obtentu, quòd cum verbum *Maioraſco* juxta ſuam veram ſignifi-
25 cationem importat primogenituram, & majoratum, ut explicat vocabularium linguæ Hetruſcæ nuncupatum *della Cruſca,* verbo *Maioraſco;* inde ſequitur, quòd Dux Jacobus noluerit dicta jocalia novo peculiari ſubiicere maioratui, ſed eius mens fuerit illa vinculare favore maioratus iam præexiſtentis, quod idem importat, ac eadem iocalia aggregare antiquæ Primogenituræ, & illi quidem Cardinalis Antonii Mariæ, quæ per Antonomaſiam apud omnes de familia Salviata appellari conſueverat, *la primogenitura della Caſa.*

Etenim dictus diſcurſus non concludit primum aſſumptum, quòd Dux Jacobus diſpoſuerit favore maioratus iam præexiſtentis, & longè minùs alterum, quòd iſte maioratus præexiſtens eſſe poſſit, & debeat ille Cardinalis Antonii Mariæ. Quod enim attinet ad primum ſignificatum dicti verbi *Maioraſco,* non eſt deſumendus ſimpliciter à vocabulariis, quæ diverſimodè loquuntur, ſed à volun-
26 tate, & intellectu teſtatoris, cum in iure certa ſit propoſitio, quòd verba prolata in ultimis voluntatibus ſunt interpretanda juxta mentem proferentis, etiamſi opus eſſet recedere ab illorum proprietate; nec enim voluntas verbis, ſed verba voluntati deſervire debent, *l. plenum 12. §. Equiti, ff. de uſu, & habitat.* Aymon. *conſ. 9. n. 21.* Rot. coram Ludoviſ. *dec. 511. n. 24. et dec. 44. n. 17.* coram ſan. mem. Alexand. VIII.

In præſenti autem viſum eſt dominis, Ducem Jacobum non adhibuiſſe verbum *Maioraſco* ad ſignificandum maioratum, ſeu primogenituram, ſed maiorem natu, & primogeni- 27
tum, dum dictio verbo *Maioraſco* addit cum alternativa *aut* verbum *primogenito,* ibi -- *Maioraſco, o primogenito,* quæ dictio *aut* poſita inter ſimilia, & analoga, reſolvitur in expoſitivam, ſeu declarativam, *l. ſciens §. 1. ff. qui ſatiſd. cog.* Barboſ. *tract. var. dict. 415. n. 5.* Rota coram Merlin. *dec. 436. n.* 28
6. et dec. 455. n. 11. par. 19 rec. tom. 2.

Eòque fortiùs attentis ſequentibus verbis *dovendo ſuccedere in eſſi, ſi come voglio, che ſucceda gradatamente uno doppo l'altro,* quæ relata ad verbum *Maioraſco,* non poſſent verificari, ſi eius nomine teſtator intellexiſſet exprimere Maioratum, 29
cum iſte tamquam ius reale, & inanimatum non ſuccedat, ſed in eo ſuccedatur, ut patet ad ſenſum.

Non reſiſtentibus ſequentibus verbis *della noſtra caſa,* quæ uti complexiva familiæ in ſua tota latitudine, dicebantur indicare, teſtatorem ſub nomine, *Maioraſco della noſtra caſa,* loquutum fuiſſe de maioratu, & primogenitura iam facta: Quia ſub nomine *della noſtra caſa,* intellexit Dux 30
Jacobus demonſtrare eius familiam deſcenſivam, cùm iuxtà ſuum uſum loquendi per verbum *noſtra caſa,* ſignificare voluerit *ſuam,* ex latè ſuprà firmatis, §. 8. & 9.

Prout nec urget, quòd dicta verba *dovendo ſuccedere in eſſi,* ſignificent præexiſtens ſuccedendi debitum in vim maioratus domus; & alia ſequentia *ſi come voglio, che ſucceda,* importent uniformitatem diſpoſitionis Ducis Jacobi ad illam, quæ iam præexiſtebat; quia cum antea teſtator per verba abſoluta, & diſpoſitiva ſuppoſuiſſet iocalia, & tabulas pictas fideicommiſſo favore primogeniti, ibi -- *E quelli laſcio al mio Erede ſotto perpetuo fideicommiſſo à favore ad maioraſco, o primogenito,* verba ſequentia, *dovendo ſuccedere in eſſi,* optimè referri poſſunt, & debent ad novum præfatum ſuccedendi debitum per ipſum teſtatorem inductum, abſque 31
quòd referantur ad debitum ſuccedendi alterius diſponentis, de quo nulla fit mentio. Adeout non rectè diceretur, quod eadem verba *dovendo ſuccedere* fuerint appoſita ad deſignandam ſucceſſionem in genere, de qua antea teſtator loquutus non fuerat, dum paulo antea clariſſimè diſpoſuerat de ſucceſſione, eo ipſo quod iocalia ſubiecerat fideicommiſſo favore primogeniti; verius propterea eſt, quod repetierit dicta verba indicantia ſucceſſionem ad deſignandum modum, quo optabat, ut primogeniti ſuccederent in dd. iocalibus, nempè *gradatamente uno doppo l'altro,* & ad declarandum, quod reſtringebat primogenituram ad ſuam familiam effectivam tantùm, iuxta importantiam verborum *gradatamente &c.* ex ſuprà ponderatis ſub §. 10. & faciunt notata in hiſce terminis per Rot. *dec. 116. n. 6. & dec. 138. n. 9.* coram Emerix Jun.

Nec magis conferunt ad rem alia verba poſita in fine teſtamenti occaſione exarandi notam iocalium, ibi -- *Nota delle coſe, che ho ſottopoſto alla primogenitura;* ex quo verbo *alla* deſignativo actus iam præexiſtentis, inferebatur quod iocalia ſupponebantur antiquæ, & non novæ primogenituræ; nam aliàs dictum non fuiſſet -- *Nota di Quadri, e Gioie, che ho ſottopoſto alla primogenitura,* ſed *a primogenitura.* Enim vero quidquid ſit de intelligentia dictarum præpoſitionum *alla,* & *à,* cum dicta nota iocalium exarata fuerit, poſtquam teſtator iam primogenituræ fundationem expleverat, rectè in ipſius calce tamquam de re iam præexiſtente ſcripſit -- *Nota delle coſe, che ho ſottopoſto alla primogenitura;* nam iſta iam reperiebatur ordinata. Certiùs quia ſubduntur verba, *come ſopra,* quæ dictio relativa deſignat, quod teſtator loquutus fuerat de primogenitura per ipſum ſuprà 32
inſtituta, & non de aliena, Card. de Luca *de fideicom. diſc. 28. n. 12.* Rota *dec. 95. n. 25. part. 11. recent.* & in Mediolanen. Cappellaniæ 23. Martii 1703. §. *Fortius quia,* coram me, & in Interamnen. fideicommiſſi 11. Novembris 1705. §. *Nec diſcordat,* pariter coram me.

Nihilque magis ſtringente animadverſione, quod regulariter non ſoleat conſtitui fideicommiſſum, & maximè primogeniale, ſuper ſolis mobilibus, cum iſta utpotè infructifera nullum primogenitis levamen, familiæque decorem addere valeant ſine concomitantia bonorum, dicendum propterea ſit, mentem Ducis Jacobi fuiſſe impinguandi cum controverſis iocalibus aliam ſupradictam primogenituram domus Salviatæ, bonis iuriſdictionalibus, & ſtabilibus refertam. Res enim tam inuſitata non apparuit Dominis, quod ſuper iocalibus, & tabulis pictis tam ingentis valoris conſtituatur particularis, & ſeparata diſpoſitio, cùm non ſemel teſtatores ſubjecerint vinculo fideicommiſſi particularis favore unius de familia Bibliothecas & Tabulas pictas eximii Artificis, antiquorum numiſmatum collectionem, imò unum jocale, unamque
33 gemmam à ſæculis in domo, exiſtentem, ex collectis per Cyriac. *contr. 16. per. tot.* de Luc. *de fideicom. diſc. 130. nu. 14.*

Cæterùm ſtat ſimul, quòd Dux Jacobus voluerit impinguare patrimonium primogenitorum ſuæ familiæ dd. jocalibus mediante particulari diſpoſitione, vocante certos primogenitos, & non omnes illos, qui continentur in aliis primogenituris antiquis; & de facto obſervarant Domini, duos hujus familiæ Cardinales, qui diſpoſuerant ante Ducem Jacobum, peculiarem modum tenuiſſe invocandis primogenitis; Cardinalis enim Bernardus vocavit nepotes legitimos, & poſteà filios illegitimos, & demùm non excluſit fœminas; Cardinalis Antonius Maria invitavit deſcendentiam nepotum, excluſit fœminas, & vocavit ultimo loco filium adoptatum, etiam extraneum; nil mirum propterea, quòd Dux Jacobus voluerit etiam ſuam particularem condere diſpoſitionem, ſtatuendo primogenituram favore primogenitorum ſuæ familiæ effectivæ tantùm, abſque incluſione Collateralium, & Adoptatorum, ſuper ſolis mobilibus quantumvis infructiferis, dum benè ſciebat, quòd illa devenire debebant in primogenitos ex eo deſcendentes aliunde divites; atque ita in dubio eſt concludendum, non conſtito de voluntate certa, & ex-
34 plicita prorogandi alienum fideicommiſſum, Aldobr. *conſ. 76. n. 16. lib. 1.* Decian. *conſ. 58. n. 62. lib. 2.* Peregr. *conſ. 118. lib. 1.*

Ex quibus nullo modo probatum manet primum aſſumptum, quòd controverſa jocalia ſuppoſita fuerint antiquo majoratui; ſed clariùs inſubſiſtens apparuit alterum aſſumptum, quòd aſſertus majoratus à ſæpè dicto Duce Jacobo auctus, & prorogatus, ſit ille Cardinalis Antonii Mariæ; nam ſi attendantur verba illius diſpoſitionis, nullum adeſt tale quid indicans, & ſuadens; imò habetur diſpoſitio oppoſitum evincens; ſiquidem in primogenitura Cardinalis Antonii Mariæ, poſt primogenitos agnatos, vocantur adoptati per ultimum primogenitum agnatum, & diſpoſitio Ducis Jacobi hos adoptatos non includit, imò potiùs excludit, quia dum vocat primogenitos *gradatamente uno dopo l'altro in infinito,* inter iſtos non poteſt comprehendi primogenitus per nominationem, de quo inverificabilis eſt ſucceſſio per gradum; verbum enim *gradus* denotat
35 ordinem ſuccedendi de uno in alium proximum, & deſcendentem, ad ſimilitudinem ſcalarum, locorumve proclivium, quos ita gradimur, ut à proximo in proximum, id eſt in eum qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus, ut hiſce verbis explicat Rebuff. *de verbor. ſignif. l. 200. verb. gra-*
36 *dibus,* in fine verſiculi. Unde adoptatus nunquam repræſentare poteſt gradum, niſi per fictionem, Text. *in l. Adoptivum colum. 2. de in jus vocand.* Rot. *deciſ. 214. num. 15. par. 9.* & cum verſemur in dipoſitione hominis, verba accipi debent in ſenſu naturali, & non civili, ac ficto; *l. 3. §. Hæc*
37 *verba, ff. de negot. geſt. l. ex ea parte, §. Inſulam, ff. de verb. obligat.* Roland. à Valle *conſ. 68. num 6. vol. 1.* ubi quòd verba diſponentia de obtinente gradum, debeant intelligi verè, & non fictè, Surd. *deciſ. 303. numer. 1.* Latr. *deciſ. 32. numer. 8.*
38 *in fine,* Rot. *deciſ. 361. num. 21. & ſeqq. part. 4. tom. 2. recent.* cum aliis in Vaden. Canonicatus 19. Junii 1705. §. *Ex ea tantùm ratione cum duobus ſeqq.* coram me, & in terminis Rot. *deciſ. 475. num. 10.* coram Rembold. Cum igitur Dux Jacobus excluſerit aliquas perſonas vocatas in primogenitura Cardinalis Antonii Mariæ, ſignum evidens eſt, voluiſſe novam condere primogenituram, & non proroga-
39 re antiquam, quæ non conveniebat com ſua, Marſil. *ſingular. 520.* Menoch. *conſ. 1020. numer. 11.* Caſanatt. *conſ. 57. numer. 4.* Rot. *deciſ. 432. numer. 16.* coram Merlin. Torr. *de primogenit. Ital quaeſtion. 20. numer. 11. tomo 2.*

Præterea cum in domo Salviata de tempore, quo Dux Jacobus ſuum condidit teſtamentum, geminæ adeſſent primogenituræ, una Cardinalis Bernardi, altera Cardinalis Antonii Mariæ, munus eſt prætendentis, relationem factam fuiſſe potiùs ad unam, quàm ad alteram, id conclu-
40 denter probare, nec in ſubjecta materia procedendum eſt cùm conjecturis, generalibns, & æquivocis, ſed requiruntur ſpeciales, & quidem fortes, deſumptæ ex ipſo teſtamento Ducis Jacobi, ut in ſpecie tradit Caſanatt. *dicto conſ. 57. num. 3.* cujus naturæ non ſunt præſumptiones adductæ per defenſores moderni Ducis Salviati: nam prima, quòd in Domo Salviata per Antonomaſiam *nomine primogenituræ domus* intelligebatur illa Cardinalis Antonii Mariæ, non habet facti aſſiſtentiam, dum fundatur in teſtmento ultimi Ducis Antonii Mariæ; ex hoc enim nullo modo poteſt elici argumentum pro tempore valdè antecedenti. in quo diſpoſuit Dux Jacobus ejus avus; præſertim quia eatenùs dictus ultimus Dux Antonius Maria, ſæpiùs nominando primogenituram in genere, intellexerit de illa Cardinalis Antonii Mariæ, eò quia in aliis partibus teſtamenti hanc primogenituram nominaverat clarè, & expreſsè; unde conſtito de clara, & expreſſa voluntate, ceſſat argumentum fundatum in Antonomaſia: non omiſſa ponderatione, quòd in ſuis diſpoſitionibus teſtatores loqui ſolent clarè cum repetitionibus clauſula- 41
rum, & verborum ad effectum evitandi lites, & controverſias; unde inveriſimile viſum fuit, quòd Dux Jacobus, ſi voluiſſet exprimere Majoratum Cardinalis Antonii Mariæ, uti voluerit figuris Rectoricis, quibus, ſanè uſus non eſt Dux Franciſcus Maria illius filius, qui exoptans impinguare dictam primogenituram ejuſdem Cardinalis, illam clarè, & litteraliter expreſſit, & non virtualiter, ut benè ad rem perpendit Rot. *deciſ. 475. n. 5. & fin.* cor. Rembold.

Ejuſdemque irrelevantiæ eſt altera conjectura deſumpta ex eo, quòd primogenitura Cardinalis Antonii Mariæ eſſet pinguior, & referta majori parte bonorum domus Salviatæ; ubi è contra illa Cardin. Bernardi conſiſteret in ſolo Palatio urbis; undè præſumptio dictat, quòd Dux Jacobus illam potiùs, quàm iſtam augere voluerit; quoniam in facto probatum fuit, quòd domus Salviata ultra bona primogenialia Card. Antonii Mariæ, multa alia magni redditus poſſidebat bona, quæ ſaltem in parte devenire poterant ad primogenitos; quæ quidem bona unita Palatio primogeniali Card. Bernardi conſtituebant non modicum patrimonium, pro cujus augmento, & decore, citrà ullam inveriſimilitudinem, addi poterant jocalia, & tabulæ pictæ, de quibus eſt quæſtio; dominis deſuper advertentibus, quòd ſicuti Card. Bernardus, licèt poſſideret pingue patrimonium, nihilominùs ſubjecit primogenituræ tantummodò palatium urbis; ita nulla eſt repugnantia, & inveriſimilitudo, quòd Dux Jacobus ordinaſſet primogenituram ſuper jocalibus, & tabulis pictis, eamque aggregaſſet primogenituræ ejuſdem Card. Bernardi; imò cum agitur de tabulis pictis, quæ deſerviunt pro ornamento palatii, magis veriſimile eſt, quòd iſtæ fuerint ſuppoſitæ eidem vinculo, cui erat obnoxium palatium, juxta regulam juris, de qua per text. *in leg. acceſſorium, de reg. jur leg. etiam, C. de jur. dot.* Caſanat. *conſ. 55. n. 39.* Gratian. *cap 281. n. 3.*

Hinc pariformiter nihil magis concludit, quod à primogenitura Card. Bernardi, poſt maſculos, agnatos, non excludantur fœminæ, & in illa Card. Antonii Mariæ ſint excluſæ, & invitatus etiam extraneus adoptatus in familiam. Undè non eſt præſumendum voluiſſe Ducem Jacobum permittere, quòd jocalia tanti valoris à maſculis tranſirent in alienam familiam, quando aliàs voluit, quòd ea ſpectare debeant ad primogenitum domus *gradatamente uno dopo l'altro in infinito,* quaſi quòd in infinitum remanere non potuiſſent jocalia ad primogenitos domus, ſi aliquo caſu, ad fœminas tranſmigrare poſſent.

Nam pro remotione hujus conjecturæ adverterunt do- 42
mini, quòd etiam Card. Barnardus erat amantiſſimus familiæ Salviatæ, dum pro ejus conſervatione ſuppoſuit primogenituræ palatium urbis ab eo conſtructum, & tamen poſt maſculos lineæ effectivæ ſuorum hæredum, non vocavit filium adoptandum in familia, neque à ſucceſſione excluſit feminas; nulla proindè notari poſſet inveriſimilitudo, quod idipſum diſpoſuerit Dux Jacobus de jocalibus, & multò magis de tabulis pictis, quæ quodammodò conſiderari poterant annexa dicto palatio, utpote ad ejus ornatum deſervientia; maximè quia in contextu diſpoſitionis Ducis Jacobi nullum adeſt verbum indicans votum perpetuæ conſervationis agnationis, prout eam expreſsè voluit Card. Antonius Maria; ſed imò, ut ſupra ponderatum eſt, §. 26. dicta verba, *gradatamente uno dopo l'altro in infinito,* excludunt adoptatos; undè nullum adeſt motivum, quo certè dici valeat, quòd Dux Jacobus abhorruerit fœminas primogenitas, deficientibus maſulis agnatis ex ſua familia effectiva deſcendentibus ad inſtar voluntatis Card. Antonii Mariæ, & quòd potiùs ſeſe non conformaverit cum judicio Card. Bernardi, qui illas per poſterius non abhorruit. Non obſtante perpetua vocatione primogenitorum domus, quin iſta perpetuitas pluſquam rectè verificabilis erat, du- 43
rante linea, ſeu familia effectiva, ut ſupra firmatum eſt ſub §. 10. & præter ibi deductos, Rota *deciſ. 669. n. 16. & 17.* coram Merlin. & *deciſ. 906. nu. 3.* coram Cerro.

Quæ